


IN PRIOREM R. M. 75
B. PAVLI APOSTOLI
AD TIMOTHEVM
EPISTOLAM
Commentarius.

Authore D. Ioanne Hessello Louaniensi, Sacra
Theologie, dum viueret, Regio
Louani Proffessore.

Alter item eiusdem authoris Commentarius
in priorem B. Petri Apostoli Cano-
nicam Epistolam.

Collage de la comp' de chi se jenant



Apud Ioannem Bogardum, Sub Biblijs
Aureis. Anno 1568.

W.B. s. Aff. de la collation de
(d. Alazar). His de Grand.

R. M. 75

IN PRIOREM
B. PAVLI APOSTOLI
AD TIMOTHEVM
EPISTOLAM
Commentarius.

Authore D. Ioanne Hessello Louaniensi, Sacra
Theologie, dum viueret, Regio
Louanij Professore.

Alter item eiusdem authoris Commentarius
in priorem B. Petri Apostoli Cano-
nicam Epistolam.

Collég' della comp' dei sacerdoti de Granada



LOVANNI,
Apud Ioannem Bogardum, Sub Biblijs
Aureis. Anno 1568.

*w8n. s. Aff. coll. coll. della comp' de
(el d. Alvaro). His de Granada*

PRIVILEGIUM.

Regiae Majestatis Privilégio concessum est
Ioanni Bogardo, Bibliopola iurato, ut
intra octo proximos hosce sequentes annos
imprimat quosvis Ioannis Hessels à Louanio Sa-
cra Theologia (dum vineret) in Academia Lo-
uanensi Professoris libros; tam eos, qui typis ex-
cusi sunt, quā qui postmodum excudentur. (ē quo-
rum numero est & hic Commentarius in prio-
rem B. Pauli apostoli Epistolam ad Timo-
theum.) Et simul quoque interdictum est alijs
omnibus, quicunque deinceps illi sint, ne eos impri-
mant, aut alibi impressos in ditiones Regia Maie-
statis distrahendos importare tentent, sub graui-
bus pēnis, quas litera exprimunt.

Datæ Bruxellis, die 12. Decembr.

Subfig. De VVitte.

Anno 1567.

REVERENDO IN
CHRISTO PATRI AC
DOMINO, D. CAROLO LINDANO,
Monasterij Parcensis Premonstraten-
sis ordinis, iuxta Louanium Ab-
bati, Henricus Graius
Louaniensis,
S. D.

Ruerende Pater, quidam
seculi huius sapientes,
dum videret impios per-
nitiososque homines diu-
interdum magno multo-
rum malo, felices floren-
tesque viuere: contrà verò optimos quo-
dam viros, & Reipubl. admodum utiles ac
necessarios, aut citò hinc abripi, aut certè
miseram & calamitosam vitam agere, ut
operam suam, qua proximis adefesse cupe-
rent, præstare non possint: hac, inquam,
tam absurdâ in speciem rerum deformita-
te & confusione offensi, dum altius con-
surgere negligunt; eò sunt impietatis &
blasphemiæ prolapsi, vt aut iniustum Deū
facerent, aut omnem illi prouidentiam de-

A 2 trahe-

E P I S T O L A .

traherent, hoc est , Deum esse negarent. Perturbat nonnunquam hæc res infirmos etiam & parum benè institutos Christianorum quorundam animos , vt hac quoq; in parte nutare nonnihil & vacillare incipient . Sed quid rudes illos & crassos profero? ipsi etiam prophetæ, populi doctores & magistri , eiusdem perturbati ordinis consideratione , humani aliquid passi videntur; nisi malimus eos ex infirmiorum persona fuisse loquutos. Iustus quidem, in-

Hiere.12. inquit Hieremias,tu es Domine, si disputem tecū, veruntamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur? benè est omnibus qui iniquè agunt? Plantasti eos & radicem miserunt, proficiunt & faciunt fructum,etc. Quin & ipse Dauid, Mei autem,

Psal.72. inquit, penè moti sunt pedes , penè effusi sunt gressus mei . Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum vidēs. Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum . In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur:& cætera, quæ in eandem sequuntur sententiam. Verum hi cum nec satis facere sibi , nec expedire se possent, haud

perinde

D E D I C A T O R I A .

perinde temerarij , ad ipsum Dei sanctuarium supplices confugere, vbi tandem pio studio precibúsq; rei huius rationem edoceri meruerunt: id nimirum in his tam tumultuarijs vitæ huius calamitatibus & ærumnis à Domino geri , vt hic quemadmodum Apostolus ait, ab eo correpti, non i Cor. xi. cum hoc mundo damнемur. Quo sanè intellecto Dei consilio, admirandam in omnibus eius iustitiam ac sapientiam proni venerantésque magna cum religione adorarunt, & apud omnes passim semper prædicarūt. Idem ergo & nobis certissimè constantissimèque retinendum est, & aduersus omnes huiuscemodi tentationum procellas, velut ancoræ loco habendum, nihil in rebus humanis casu aut fortuitò evanire, nihil Dei prouidētiā subterfugere, omnia ab eo iustissimè, prudentissimè, pulcherrimèq; gubernari & administrari, etiā ea quæ humano iudicio aut iniqua, aut stulta & absurdæ esse iudicantur. Quoties ergo doctorum & insignium virorum casu aut interitu Rempublicam damnum , & incommodum accipere videimus, meminemus oportet , fieri hoc certissimo iustis-

A 3 simoque

E P I S T O L A

simóque Dei iudicio , tamet si non semper manifesto. Nam interdum quidem merentur id nostra peccata, vt quoniam Dei donis nos præbemus indignos , iustè ea nobis eripiantur. Nonnunquam ita visum est diuinæ clementiæ exercere filiorum suorum patiètiam, vt hac etiam in parte, voluntati eius parere, & in omnibus discant esse subiecti. Denique , quod mirum fortasse videri queat, facit hoc aliquando ad formandam & instituendam piorum sapientiam. Fit enim sæpenumero, vt humano quodā affectu, viris quibusdam , optimis quidem illis & doctissimis , sed hominibus tamen, plus satis addicti, ab eis magis, quām à Deo ipso pendere videamus , illis nitamur & confidamus , tanquam vel à semetipsis sapient , aut illi nobis ad percipiendam sapientiam sufficere queant: adeò vt gloriari etiam in eis aliquando incipiamus , dicamusque , ego sum Pauli, ego Apollo. Ad quem corrigendum affectum , facit interdum Deus, vt eos misericorditer nobis eripiat, quò discamus nō confidere in hominibus, neque spem nostram in eis collocale, sed in Christo Iesu , in quo sunt omnes thesau-

DEDICATORIA.

thesauri scientiæ & sapientiæ reconditi. Colof. 2.
Quicquid enim est in hominibus bonæ ac salutaris doctrinæ, id de eius plenitudine, Ioan. 1.
tanquam uberrimo fonte omnes hauserunt
& acceperunt . Is est, qui Apostolos, Pro. Ephes. 4.
phetas, Euāgelistas, Pastores, & Doctores
donat ad consummationē sanctorū, in adi-
ficationem corporis sui, quod est Ecclesia.
Ad hæc plantare quidem hi possunt & ri- 1.Cor. 3.
gare; at non item incrementum dare : hic
est enim unus verè magister omnium, qui Matth. 23.
docet hominem sciētiā, quo nisi interius Psal. 93.
docente & illuminante, frustra personat in
auditorum auribus vox cuiuslibet docto-
ris, quantumuis etiam excellētissimi. Is so-
lus est qui habet clauem Dauid; qui aperit Apocal. 3.
& nemo claudit , claudit & nemo aperit:
solus qui librum illum intus forisq; descri- Apocal. 5.
ptum accipere potest, & eius soluere fig-
nacula. Id ergo quò diligentius aduerta-
mus, & admoneamur ita humanis utrēdum
præfidijs, vt in omnibus diuinæ gratiæ mu-
nus agnoscentes, à cœlesti potissimum ma-
gisterio pēdeamus : eripit nobis interdum
viros præclaros; sed quos ipse donarat , &
pro quibus substituere alios possit , longè

A 4 ctiam

E P I S T O L A

etiam præstantiores: si id agnoscentes pre-
cibus, piisque supplicationibus eo nos mu-
nere dignos præbeamus. Certè nō absimi-
lis causa fuisse videtur, cur etiā Christum
ipsum necesse fuerit discipulorum oculis
subduci: siquidem corporalis eius præsen-
tia, cui carnali quodam affectu mirificè af-
ficiabantur, illi inhærentes, in eaque plus
satis acquiescentes, obstabat, quominus ad
maiora & altiora proficerent. Ut ergo dis-
ceret à cælesti magis, quām humano pen-
dere præsidio; & inuisibili potius, quām vi-
sibili niti præsentia Christi, audiunt ab eo,

Ioan.16. Expedit vobis vt ego vadam: si enim non
abiero, paracletus non veniet ad vos; si au-
tem abiero, mittam eum ad vos. Quid igit
tur mirum, si idem interdum & nobis vsu
venire dicamus, vt magnis quibusdam vi-
ris carere expediatur, quorū præsentia non
ipsorum quidē, sed noltro vitio, ad sapientiæ
profectum est nobis impedimento?

Cæterum quibus ex his potissimum causis
tot tamque illustria Ecclesiæ lumina, intra
paucos hosce annos Academia nostra per-
diderit, nouit & quiissimus ille rerum arbi-

Sapi.11. ter, omnia in mensura, numero & pondere
dispo-

DEDICATORIA.

disponens. Certè maximam fecimus iactu-
ram, in primis autem Schola nostra Theo-
logica tot tantisque orbata magistris, quo-
rū & viua voce, & calamo partim in eden-
dis ijs quæ tot annorum studio fuerat me-
ditati; partim in perficiendis & absoluendis
quæ iam scribere fuerant aggressi, mag-
no sanè omnium bono & cōmodo vti ad-
huc potuisset. Fuere ex eorum numero, in
primis D. Ruardus Tapperus, Academiæ
quondam nostræ Cancellarius, vir sanè incō-
parabilis, ac æterna memoria dignissimus,
cuius extat eruditissimus in eos articulos
Commentarius, quos Theologicū apud nos
collegium aduersus Lutherum iam olim
ediderat: sed quod profectò dolendum est,
præmatura authoris morte, mutilus ac im-
perfectus. Proximus fuerit D. Ioannes
Driedo, cuius doctissima, grauissimaque
scripta quantum ei gratiæ & authoritatis
etiam apud exteras nationes attulerint, ne-
mini obscurum esse arbitror: sed cui idem
vsu venit, vt morte præoccupatus, quæ
scribere instituerat, absoluere nequiuierit.
Sequitur post hos D. Iacobus Latomus,

Quar.

E P I S T O L A

Quartum locum obtinet D. Ioannes Hafselanus, cùm in omni disciplinarum generē, tūm verō in ipsa Theologia omnibus numeris consummatissimus: cuius tametsi nihil aut perparum sub eius faltem adhuc nomine extet, qualis tamen quantusq; vir fuerit, quām reconditæ eruditionis, quām linguarum trium peritus, quām deniq; disertus & eloquens, in secundo Tridentini Concilij conuentu facilè cognitū fuit, vbi & moriens magnum apud omnes, nō discipulos tantum, verum etiam Synodi illius Patres, sui desiderium reliquit. Denique D. Ioannes Hentenius, vir vt indefessi laboris ac studij, ita etiam sanè doctissimus, & trium linguarum cognitione nulli secundus: id quod Euthymij & Oecumenij translationibus iam olim testatum fecit; qui nuper etiā præclaro operi quod in vnuersa Biblia moliebatur, est immortuus, non sine magno studiosorum omnium incommodo. Inter hos haud vltimo sanè loco habendus est D. Ioannes Hesselius Louaniensis, nec vt ætate, ita etiam eruditione cuiquam inferior: qui cum & ipse iuuandorum studiorum esset auidissimus, edidit

non

DEDICATORIA.

non pauca, quibus id ab eo egregiè præstatum est, plura tamen editurus, ni quotidiane prælectiones, turba negotiorū, aduersa valetudo, deniq; & mors ipsa superueniens consilium hoc eius turbassent atque euerterissent. Id quod est nuper à nobis, non quidem pro rei dignitate, sed quatenus epistolaris breuitas tulit, haud immerito deploratum. Porrò tametsi huiuscemodi virorum casu grauem, nec vlli æstimandam iacturam fecerimus, haud quaquam tamen negligendum nobis esse arbitror, si quid forte reliquarum ex illo veluti naufragio colligi queat, quod publicis studijs prodesse possit. Et cæteri quidem suos fortasse sunt habituri Tirones, qui in vestigandis, & ab interitu vindicandis eorum scriptis, studium suum impendant: nos verō id laboris ac operæ, Hesselio nostro, pro eo atque debemus, præstare conabimur, ut quicquid eius ad publicam facere utilitatem ex eruditoru virorum cōsilio cognoverimus, id quoad eius licebit eruamus, atque in lucem proferamus. Quod ergo nuper in edenda eius Decalogi explicacione facere cœpimus, in eo nūc progredientes, ge-

E P I S T O L A

tes, geminum eiusdem commentarium in Apostolicas aliquot epistolas, priorem videlicet B. Pauli ad Timotheum, & B. Petri priorem item Canonicam, vtranque sanè quā difficillimam, pro tempore iam exhibemus. Opus profectò diu à studiis defideratum, & indignum quod vel pereat, vel supprimatur. Nam tametsi vt ingenuè fatear, authoris opinioni & existimationi haud quaquam respondeat; tum quòd primis ferè studijs, nondum adhuc maturata eruditione ante complures annos, compofitum conscriptūmque ab eo sit; tum quòd nec recognoscere & extremam illi manum addere integrū fuerit: est tamen varia eruditione, ac vtilissimarū rerum cognitione fœcundissimum, & planè huiusmodi, ex quo haud mediocris cōmoditas ad Lectorem redire poscit. Nam præter difficillima & obscurissima, quæ illic insunt loca, clarè dilucidēque explicata, quamplurimi etiam nodi ac difficultates expediuntur; nō paucæ aliæ per occasionem scripturæ enarrantur; innumeræ pertractātur religionis nostræ controuersiæ, & aduersus hæreticos muniuntur, afferunturque: vt mirum sit

tantam

DEDICATORIA.

tantam illi in ea ætate, tum eruditionem, tum lectionis varietatem adfuisse. Ceterum quicquid id est, operam nostram studiosis omnibus, potissimum autem discipulis eius, gratissimam fore confido.

Atq; in primis quidem R. P. T. cui vt hoc operis dicaremus, complures nos causæ impulerunt. Nam vt præterea clarissimos natales tuos, splendidamque ac illustrem inter nos Lindanorum familiā, quæ non paucos nobis dedit egregios viros, quorū extant præclara, tum in Ecclesiam, tum in Rempublicam merita: & in primis quidem, quem honoris gratia nomino, clarissimum virum ac Dominum D. Ioánum Lindanum, parentem tuum, vidente adhuc senecta florentem: cuius insignis fides, virtus, ac industria in tot obeundis Rēpublicæ muneribus, tum verò toties tam feliçiter gesto consulatu, non semel omnibus cognita est atque perspecta. Quo nomine Carolo quoq; Imperatori commendatisimus, præter ceteros quibus ab eo decoratus est honores, etiam ad equestris ordinis dignitatem iam olim est sublimatus. Hoc igitur & id genus similia, cum alijs complu-

E P I S T O L A

compluribus tibi communia, vt omittam:
illud me proprius mouit, quod singulari
semper benevolentia ac pietate D.Ioan-
nen Hesselium fueris prosequutus, non
modò vt ciuem ac eiusdem tecum loci mu-
nicipem, verum etiam tanquam præcepto-
rem & magistrum, vt qui ante complures
annos dum in hoc vestro monasterio præ-
lectoris munus obiret, scholæ eius pars fue-
ris, imò hæc ipsa docentem enarrantemq;
audieris: vt vel hoc nomine non dubitem
tibi hunc librum fore longè gratissimum.
Huc accedit quod summa cum laude sa-
cro illi Collegio locoq; iamdudum præsi-
deas, in quo tot ille annos sacras est literas
interpretatus; cuiusque liberalitate ac mu-
nificētia & in studijs fatus, & ad summum
est Doctoratus gradum euectus. Denique
quod cum sis ipse haud vulgariter eru-
ditus, doctos etiam omnes colas & am-
plexeris, ac quibuscumq; potes modis pro-
mouere etiam studeas: vt vel hac caufa, ex
tui nominis inscriptione non parum gra-
tiæ & commendationis huic operi accef-
surum esse cōfidam. Accipe igitur R.P.
primum ciuis, deinde amici, postremò
etiam

D E D I C A T O R I A.


etiam præceptoris tui qualemque mo-
numentum, cuius inspectione ac lectione,
quoties à grauioribus tibi curis vacuum
erit, non solum gratissimam eius memo-
riam reflices; verum etiam non sine pietati-
s ac eruditioñis fructu, animum reficias
ac oblectes. Reuerendam Paternitatem
tuam Christus Iesus Ecclesiae suæ diu con-
seruet incolumem: cui me meaque omnia
quām commendatissima esse exopto.

Louanij quarto idus Decébres,
Anno ab incarnato Chri-
sto sesquimillefimo
sexagesimo-
septimo.

IN PRIOREM B. PAVLI
AD TIMOTHEVM EPISTOLAM
ARGUMENTVM.
Latinis codicibus præ-
figi solitum.

Timotheum instruit, & docet de ordina-
tione episcopatus, & diaconij, & omnis
Ecclesiastica disciplina: scribens ei à Laodi-
cea per Tychicum diaconum.

IN PRIOREM B. PAVLI
APOSTOLI AD TIMOTHEVM
EPISTOLAM COMMENTA-
RIUS, Authore Ioanne Hesselio,
Sacra Theologia Pro-
fessore.



RIOR hæc ad Ti-
motheum epistola,
quemadmodum vna
cum Theophilacto,
testantur argumenta
hic præfixa in codici-
bus, tū Græcis, tum
Latinis, scripta est
Laodiceæ, quæ est Phrygiæ Pacatianæ Metro-
polis. Vnde colligimus posteriorē esse ea, quæ
est ad Colossenses, in qua dicit Apostolus fa-
ciem suam nondum ab eis visam fuisse.
Scripta est autem ad Colossenses epistola Ro-
mæ ex prima Pauli captiuitate, ex qua mi-
sit & eam quæ est ad Ephesios, Philemonem,
& Philippenses. Post has igitur, ex primis illis
vinculis (vti ad Philemonem & Philippem præ-
B. dixerat)

IN I. AD TIMOTHEVM

dixerat) à Nerone dimissus, Laodiceæ hanc conscripsit ad Timotheum epistola. Cæterum de Timotheo permulta legere est in Paulini epistolis, & Actis Apostolorum, cum alibi, tum verò capite 16. Ex quibus omnibus sanctissimum virum fuisse intelligimus, & Apostolo charissimum. Præfectus est ab eodem, ut ex hac etiam epistola liquet, Ecclesiæ quæ erat in Epheso minoris Asiae Metropoli. Refert autem Sophronius in catalogo Hierony. De script. Ecclesiast. eum ibidem gloriosè testificatum, hoc est, martyrio coronatum esse. Porro Timotheus iuxta vocis etymon, idem sonat, quod honor Dei, seu honoras Deum, sive honoratus à Deo. Instituit ergo Paulus hac epistola Timotheum, nō tanquam vulgarem quempiam Christianum, sed ut doctorem & gubernatorem aliorū: & præcipue in his quæ tunc erat maximè necessaria. Quanquam enim Timotheus etiam antequā præficeretur, rectè doctus esset, putabat tamē Paulus neminem tam perfectum, quin adhuc institutione & admonitione opus haberet. Primo capite munxit eum contra hæreticos Iudaizantes & eorum discipulos. Secundo docet, Christianis pro omnibus orandum esse: item quid viros, quid mulieres facere conueniat. Capite tertio quales esse debeant, quos Ecclesiæ præficiant. Quartto instruit eum aduersus scholam Simonis Magi, ut

Argu-
mēta ea-
pitum.

CAPVT I.

2

gi, ut & ipse reliquos muniat. Quinto de vi-
duis Ecclesiæ & sacerdotibus sustentatis atq;
iudicandis tractat. Sexto capite monet Chri-
stianos seruos rectè agere, ne ex illorum malitiæ
Christianæ religio male audiat, detestatur
avaritiæ, instituit Christianos diuites, & blandè
hortatur Timotheum, speque præmij excitat,
iterum muniens eum contra hæreticos, tam
Iudaizantes, quam Simonis Magi sectatores.

IN CAPVT PRIMVM.



Aulus. Apostolus Paulus à paren-
tibus suis vocatus est Saul. Cum
enī natus sit ex tribu Beniamin
hoc nomen tanquam celebre in
illa tribu imposuerant ei. Siqui-
dem primus Rex Iudeæ Saul de tribu Benia-
min fuit. Saulus autem dictus est declinatione
Hebræi nominis, ad similitudinem Grecorum
& Romanorū, sicut pro Ioseph Iosephus, pro
Jacob Iacobus dicitur. Mutata autem litera. S.
in P. dictus est Paulus, quo nomine primum
appellatur à Luca Actuum 13 dum describit
eum conuertisse ad Christum proconsulē Ser-
gium Paulum. Saulus (ait) qui & Paulus, etc.
Ex quo putat Hieronymus scribens in episto-
lam ad Philemonem Saulum dictum Paulum
à primo spolio quod abstulit diabolo, & con-
tulit Ecclesiæ post apostolatum suum, nempe

B ij Sergio

IN I. AD TIMOTHEVM

Sergio Paulo, sicut Scipio à deuicta Africa Africanus dictus est. & Metellus à Creta subiugata Creticus. Putat Augustinus lib. de spiritu & litera cap. 7. & tractatu 8. in epistolam Ioannis, & in Psal. 72. nomen Pauli sumptum ex lingua Latina, in qua significat parvulum siue modicum, Paulus (inquit) Apostolus cum Saulus prius vocaretur, non ob aliud, quātum mihi videtur, hoc nomē elegit, nisi vt se ostenderet parvum, tanquam minimum Apostolum multum contra superbos & arrogantes, & de suis operibus præsumētes pro commendanda Dei gratia fortiter atque acriter dimicantis: quia reuera in illo evidentior & clarior apparuit, qui cum talia operaretur, vehementer Ecclesiam Dei persequēs, pro quibus summo supplicio dignus fuit misericordiam pro damnatione suscepit, & pro pœna consecutus est gratiā. Hac Augst. Nomen igitur Pauli siue parvuli, conuenit prædicationi gratiæ per quam præcipuè eminuit Paulus. Conuenit & gratiæ quæ facta est ei, meritōq; amisit nomen regis superbi & persecutoris sancti Dauid, quando ex superbo persecutore Christi, factus est humilis Apostolus Christi, & primitias obtulit ei sui apostolatus. Conuenit & nomen Pauli confessioni Apostoli, qua se confitetur minimum Apostolorum, imò minimum sanctorum omnium. ad Ephes. 3. & in hac epistola pri-

x. Cor. 15

C A P V T . I.

3

Ia primum peccatorum. Meritò igitur Lucas in Actis post assumptū nomen Pauli, non amplius Saulum, sed Paulum tantum appellat. Et ipse Apostolus nūquam se Saulum, sed tantum Paulum scribit, Sicut igitur mutatio nominis Abram in Abraham, & Iacob in Israël, & Osee Gene. 17. in Iosue, & Simonis in Petrum, & Ioánis atq;^{Gene. 32-4.} Iacobi in Boanerges, certi mysterij gratia fa-^{Num. 13.} ^{Ioan. 1.} ^{Marc. 3.} cta est: ita mysterio magno non caruit, muta- tio nominis Sauli in Paulum, sicut & prædica- tio, & apostolatus, & conuersio in eo mirabi- lia fuere.

Apostolus, Apostolum seipsum nūcupat, vt suis dictis faciat fidem, ac si dicat, neque enim quæ mea sunt loquor, sed eius dicta qui me misit. Ad Timotheum autem & Tirum scribens, non propter ipsos authoritatem suam vrget, sed propter eos quibus præerant: quantum enim ad ipsos, qui toti boni erāt, attinet, omisisset nomine authoritatis, quemadmodum in epistola ad Philippenses, & in vtraque ad Thessalonicenses fecit. Iesu Christi, sicut enim Iesus est Apostolus Dei Patris secundum humanam naturam, sic & Paulus cum cæteris Apostolus est Iesu Christi, iuxta illud Ioá. 20. cap. sicut misit me pater, & ego mitto vos.

Secundum imperium, hoc est, secundum injunctionem Dei, secundum mandatum. Hoc adiicit, ne ex dignitate apostolica videatur ef-

B 3 ferri,

ferri, quasi diceret: Non ego mihi dignitatem arripiui, sed Dei præceptum contemnere non audeo. Hoc autem munus apostolicum imponitur ei à Spiritu sancto, Act. 13. vbi Christianis sacrificantibus dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Act. 22. legitur Iesus dixisse ei: In nationes longe mittam te. Quicquid autem imperat vna persona sancta Trinitatis, hoc imperant & reliqua duæ, vnde rectè dicit sibi apostolatum iniunctum à Deo Patre & Saluatore nostro Iesu Christo.

Spes nostra, qui est spes nostra. Hoc contra Iudaizantes, qui saluari sperabant viribus liberi arbitrij sui & per legem Moysi. Contra hos dicit Paulus: Deus est Saluator noster, nō vires nostræ; Iesus est spes nostra; non lex Moysi. Non per cæremonias placamus Deū, quas Moyses præscripsit, Non per scïtiām legis obseruamus Dei mandata, sed per Iesum Christum accipimus veniam peccatorum, Per ipsum seruamuis Dei mandata, & sic speramus saluari ab eo.

Timotheo dilecto, &c. Græcè est, Germano, hoc est, nativo non adulterato, sed metè Christiano. Significat enim à Iudaizantibus nō esse corruptum. *In side*, Illud, in fide, potest iungi cum dictione filio, vt Paulus Timotheum appelleret filium non secundum carnem, sed quia per euau-

per euangelium eum genuit, atque sic intelligunt Chrysostomus & Ambrosius. Potest etiā iungi cum dictione Germano, sicut Oecumenius interpretatur, Nihil, inquit, immutatus est circa fidem. Noster interpres legit, dilecto, sicut in secunda epistola Timotheum dilectum filium vocat Paulus. Chrysostomus quoq; & Theophilactus videntur leguisse, vt noster interpres. Certè Chrysostomus in salutatione epistolæ ad Titum, vbi nos habemus, Germano filio, ita interpretatur tanquam dilecto filio.

Gratia & pax. Hoc pacto cōplenda est oratio: Ego Paulus precor, vt Timotheo gratia, misericordia, pax, multiplicetur à Deo patre nostro & domino Iesu Christo. Verbu (multiplicetur) explicat Petrus in vtraque epistola, similiter & Iudas. Annotant Græci Paulum in Timothei salutatione peculiariter adiecissemisericordiam, in vtraq; epistola: cùm in alijs epistolis omnibus non nisi gratiam & pacem precretur: fecit autem hoc ex vehementissimo erga eum affectu. Per quod etiam ostendit doctribus maiore opus esse gratia, quam reliquis Christianis. Diuus Augustinus in inchoata expositione epistolæ ad Romanos, & in expositione epistolæ ad Galathas interpretatur gratiam in apostolicis salutationibus esse remissionem peccatorum: Pacem autem reconciliationem cum Deo, qua inimicitijs solutis

B iiiij per bo-

per bonam vitam eidē adhāremus: Non quidem, quin hæc pax sit etiam gratia, sed quia in salutationibus nomen gratia per antonomasiā pro præcipua gratia ponitur, nempe remissione peccatorum, sicut ipse August. declarat i. lib. Retractationum capite 24. & 25. Sumptra est autem ista salutatio Apostolica, ex mandato Christi dicentis: In quamcunq; domum intraueritis, primum dicite, Pax huic domui. Item ex Christi exemplo post resurrectionem discipulos suos sic salutantis, pax vobis. præsertim quia promisit Christus fidelibus, Pacem mēā do vobis. Augustinus in expositione inchoata epistola ad Romanos, de hoc loco sic dicit: In vrraq; epistola ad Timotheum interponit Paulus inter gratiam & pacem, misericordiā. nam ita scribit: Gratia, misericordia, pax à Deo patre, etc. quo enim familiarius, eo dulcius quodammodo scribēs ad Timotheum, id verbum interposuit, quo planè aperitur atque ostendit non meritis operum priorum, sed secundum misericordiā Dei nobis dari Spiritum sanctum, vt & peccatorum abolitio fiat, quibus se iungebamur à Deo, & reconciliatio, vt illi inhāreamus. Hæc Augustinus. Secūdum quem misericordia in Deo est, non in nobis, & causa est gratiæ & pacis, quæ in nobis sunt. Est enim fauor Dei præueniens omne nostrum meritum, per quem au fert

Luc. 10.

Ioan. 20.

fert nostram miseriam.

Sicut ego rogaui te vt remaneres, &c. Oratio est imperfecta: Vt i rogaui, sic facito. Constituerat Paulus Timotheum præfulem Ephesiorum, sicut ex tota epistola patet, dñi omne regimen Ecclesiæ ei imponit. Rogauit te, &c. Annotat Chrysostomus Paulum orasse Timotheum tanquam bonum discipulum, & in omnibus obsequente, sed docet Timotheum vt arguat cum omni imperio, & vt denunciet falsis doctoribus. Denūtiae autem austrius est, quia cum duris non oportet suppliciter agere, Vt denunciare quibusdam, &c. Chrysostomus: Erāt, inquit, in illa ciuitate ex Iudæis quidam falsi Apostoli, qui fideles rursus ad legem conabantur attrahere, quod ferè in omnibus epistolis illis pro crimine objicit: Faciebat autem hoc non quasi conscientia impulsi, sed inani gloria induicti, quod vellent hinc habere discipulos, atque aduersus B. Paulum contendere, zelōq; ac liuore ducerentur, & hoc est quod ait aliter docere. Hæc Chrysosto. Cui item consentit Ambrosius. Certè Apocalyp. 2. ad episcopum Ephesiorum dicitur: Non potes sustinere malos, & tentasti eos qui se dicunt Apostolos esse & non sunt, & inuenisti eos mēdaces. Ex quibus patet, quod licet illi, qui pro doctrina fidei docent philosophica, vel ex prophanis artibus petita, diuersa doceant, vel aliter quam Paulus, de his

de his tamen hoc loco nō sit Paulus p̄cipue
follicitus. P̄t̄est quidem Gr̄ca vox sic verti,
Ne alijs vtere ntur magistris, vt ad vulgū per-
tineat , non ad falsos Apostolos , sed sanē hoc
non quibusdam, sed omnibus Christianis erat
denunciādum, & res ipsa coincidit. Cum enim
prohibentur magistri docere aliter , prohibe-
tur & vulgo audire.

Neque intendant, &c. Chrysostomus refert
hoc etiā ad doctores, Ambrosius & Thomas
ad audientes. Pulchrè autem vtrunque exigit
Apostolus, vt nec diuersa doceant, nec fabulis
intendant. Sunt enim multi qui timore com-
pressi non audent impietatem docere, vel sal-
tem non aperte, occulte tamen eam seminarare
non cessant, aut saltem in corde suo retinent,
& falsis doctrinis occulte intendunt, sperantes
eas quandoque palam recipiendas. Hi omnes
vigilantia pastorali & comprimendi sunt ne
aperte falsa doceant aut profiteātur, & docen-
di vt interius sanati ab erroribus animum ab-
ducant. De qua re vide auream epistolam Au-
gustini ad Sixtum 104. & principium centesi-
mæ quintæ ad eundem . Rectissimè igitur fa-
ciunt pontifices , dum falsorum doctorum li-
bros legi vetant.

Fabulis, non hic legem significare voluit, sed
falsas traditiones pernicioſaque dogmata . Sic
Chrysostomus cum Theophilacto & Ocu-
menio:

menio : & Augustinus lib. 2. contra aduersa-
rium legis & prophetarum cap. i. Tales autem
fabulæ dūplices sunt, quādam quæ vocantur
Deuteroses, quales sunt in Cabala & Talmuth
pr̄ter omnes scripturas confictæ . Exempli
gratia , Qui iurauerit per templum, nihil est. Mat. 23.
Itē, quod primo homini creauerit Deus duas
vxores (quod exemplū recitat Augst.) Quod
tempore Messiae prolatura esset terra promis-
sionis panes coctos , & vestes sericas cuiq; ac-
commodatas . Alix sunt apparenter ex scrip-
turis confutæ , vt quod porcina caro sit im-
mundæ : quod sine circūcisione & legalium
ceremoniarum obseruatione, salus non sit. De
hōc secundo genere fabularum locum hunc
interpretatur Ambrosius . Obscurat (inquit)
episcopus coëpiscopum suum ne pateretur Iu-
dæos aliter populum , quām ab Apostolo tra-
debat docere, ne oblectarentur fabulis quas
narrare consueti sunt Iudæi, de Abraham, de
Isaac & ceteris patriarchis, & de circuncisio-
ne, & de ijs quæ p̄st tradita sunt à Moyse , ne
circumueniantur ad hæc colenda, quæ carna-
liter data fuerant. Similiter Chrysostomus in
cap. 4. huius epistolæ interpretatur aniles fa-
bulas. Certè ad Titum primo, vbi ait: Non in-
tendentes Iudaicis fabulis & mandatis homi-
num auersantium se à veritate: Omnia mun-
da mūndis, etc. doctrinam de delecto ciborum
ex le-

IN I. AD TIMOTHEVM

ex lege Moyſi feruando , fabulas vocat Apo-
ſtolus . Crediderim fabulas hoc loco appellari
totam Iudaicam doctrinam contrariam fidei
Christianæ,cuius præcipua pars erat ille error,
quo docebāt hominem iuſtificari ex suis ope-
ribus ſine gratia Christi: propterea quod Iu-
daei non vno aliquo errore ex ſcripturis appa-
renerit petito oppugnabant fidem , ſed multis
ac varijs, quorū quidam erat tantum aniles fa-
bulæ et ineptiæ, ſicut Arriani, Macedoniani et
Pelagiiani, hæretici tantum vocantur. Contrà
verò Manichæi, Priftillianistæ et ſectatores Si-
monis Magi, qui plurima phantasma ſingūt
contra Christianam religionem etiam fabula-
tores: Atque ita vtriusque generis fabulæ hoc
loco intelliguntur. Vide Auguſt.in fine libri de
hæretiſbus ad Quodvultdeum. Et genealogijs.
Valde ſtudioſi erant Iudæorum magiſtri ge-
nealogiarum , et altissimè repetebam proge-
niem et ſtemmata ſua, partim vt videretur pe-
riti legis diuinæ, partim vt nobiles et ſanctorū
ſliji haberentur . Has genealogias intermina-
tas ſiuſ infinitas , hoc eſt, fine carentes vocat,
quia non perueniunt ad aliquem finem vtilem
iſpis diſcentibus vel audientibus . Quid enim
iuuat ſcire quoto anno Salomon habuerit co-
iugem, ne forte Roboam vndeclimo ætatis il-
lius anno fit natus? Deinde vt norimus , qua
genealogia apud Matthæū, qua apud Lucam
narre-

C A P V T I .
narretur , quid refert ſcire cur hic pauciores,
quam ille enumeſet?

Quæ quæſtioneſ preeſtant. Quæ ſcilicet genea-
logiæ: Tractatio genealogiarum non peruenit
ad finem , ſed quomodo cumque intellexeris,
adhuc reſtat quod queratur: vnius enim quæſ-
tioneſ ſolutio alteram generat quæſtione. Vel
nomine quæſtioneum , intellige contentioneſ;
qua in tractatu quæſtioneum oriuntur. Magis
qua adiſtationem Dei, &c. Non preeſtant pro-
fectum in vero Christianismo, qui conſiſtit in
fide & pietate. Græcè eſt teconomiam ſiuſ diſ-
pēſationem Dei, ſiuſ ordinationem, vel diſpo-
ſitionem Dei , hoc eſt, Genealogiæ non preeſtant
dona Dei qua nobis dare proposuit: haec
enim per fidem accipiuntur, non per quæſtio-
neſ. Græci referunt iſtud etiam ad fabulas gen-
tilium & genealogias deorū . Sed Paulus pro-
priè Iudæos reſpicit, Nihilominus pari ratione
dehortari licebit ab ineptis poëtarū gentiliū
fabulis: ſimiliter ab ijs quæſtionebus, diſpu-
tationib⁹ & ſtudijs, etiā in Scripturis & Theo-
logia, qua nihil vtilitatis adferunt, in quibus
ſiuſ ſic, ſiuſ aliter dicas , nihil omnino refert:
Similiter ab incertiſ ſanctorum geſtis, ex qui-
bus parum eſt adiſtationis, & magis riſiſ occaſio.
De qualib⁹ Gelasius Papa in Concilio
70. Epifcoporum : Geſta (inquit) ſanctoruī
martyrum ſecundum antiquam conſuetudi-
nem

nem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus idiotis superflua aut minus apta qua rei ordo fuerit, scripta esse putantur, sicut cuiusdam Cyrici & Iulite, sicut Georgij aliorumque huiusmodi passiones quae ab hereticis perhibentur esse composita, propter quod (ut dictum est) ne vel leuis subsannandi oritur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur.

Finis autem præcepti est charitas. Illud (autem) videtur habere vim corrigendi, ut idem sit. Imò vel quinimo, quasi diceret Apostolus: Fabula ista & genealogia non solum non præstat adificationem Dei quae est in fide Christi, imò nec ad legis Moysi finem vel scopum quicquam faciunt, quia finis præcepti est charitas. Præceptum autem, figuratè ponitur, pro omnibus præceptis, siue pro tota lege Moysi, sicut rectè interpretatur Ambrosius. Finis, hoc est, impletio, est charitas, sicut ad Romanos dicit: Plenitudo legis est dilectio. Charitatē (inquit Ambrosius) finem esse dixit, id est, perfectionis consummationem omnium præceptorum. Potest etiam intelligi charitas esse finis præcepti, sicut sanitas est finis medicinæ, quia ad charitatem refertur omne præceptum, ut ait Augustinus in Enchiridio capite penultimo. Quicquid autem præcipitur à Deo, debet propter

Rom. 13.

propter Deum, & ex eius dilectione præstari.

De corde puro, &c. vt ostendat se loqui nō de qualibet dilectione, subiungit, *de corde puro*, scilicet exoriens & procedens, id est, ex voluntate vacua cupiditate honoris, lucri & similiū: nam qui cor impurum habent, dilectionē quidem habent, sed malam. Cum diceret charitas (inquit August. lib. 1. de doctr. Christ. ca. 40.) addidit, *de corde puro*, vt nihil aliud quam id quod diligendum est diligatur.

Et de conscientia bona. Idem videtur esse cor purum & bona conscientia, sed August. nomine bona conscientia, intelligit effectum bona conscientiae, nempe spem. Conscientiam, inquit, bonam subiungit propter spem. Ille ad id quod credit & diligit se peruerterum esse desperat, cui malæ conscientię scrupulus inest. Spē autem gerit bona conscientia.

Et fide non ficta. Hoc est, fide quae careat hypocrisi: Si enim, ait August. fides nostra mendacio caruerit, tunc & non diligimus id quod non est diligendum, & rectè vivendo id speramus, vt nullo modo spes nostra fallatur. Hæc August. Loquitur autem Apostolus propriè de fide in mediatorem Christum, sicut ad Romanos 10. dicit: Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti, scilicet in Christo. Sentit itaque Apostolus totam legem impleri per hæc tria, fidem, spem, & charitatem. Vnde pulcherrime Augustinus

IN I. AD TIMOTHEVM

gustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 39.
Homo (inquit) fide, spe, & charitate subnixus,
eaque inconcussè retinens non indiger scripturis,
nisi ad alios instruendos. atque multi per
hæc tria etiam in solitudine sine codicibus vi-
uunt. Vnde in illis arbitror iam completū esse,
1. Cor. 13
quod dictum est. Siue prophetæ euacuabun-
tur, siue lingue cessabunt, siue scientia destrue-
tur, quibus tamen quasi machinis tanta fidei
& spei & charitatis ineſt instructio, vt perfe-
ctum aliquid tenentes, ea quæ sunt ex parte
non querant. Et iterum in sermone de lau-
dibus charitatis, Ille tenet, & quod patet &
quod latet in diuinis sermonibus, qui charita-
tem tenet in moribus.

A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in va-
niloquium. A quibus scilicet charitare, spe, & fi-
de. Quidam aberrantes, scilicet in medijs studijs
suis. Græcè est participium præteriti temporis,
& est vox sumpta à iaculatōribus, quibus cer-
tus scopus & signum sagitta petendum præsi-
gitur, quem aliò declināes derelinquūt. Cum
(inquit Paulus) aberraſſent à dicto fine & sco-
po legis, siue non cognoscentes eum, siue ne-
gligentes, conuersi sunt, id est, deflexerunt, In va-
niloquium, id est, ad inania dogmata, imò perni-
tiosa docenda, minus enim dicit & plus intel-
ligit, sicut & in 2. epistola vocat vaniloquia.

Volentes esse legi doctores. Causa cur aberra-
rint à

C A P V T I.

9

rint à scopo legis, & declinauerint ad falsa
 dogmata, quia ambitioni erant & cupiebāt ha-
 berē periti magistri legis Moysi, cū tamē essent
 plane imperiti, ut pote nō intelligētes neq; quæ lo-
 quuntur, id est, de lege Moysi, neque quæ affirmāt,
 id est, de obſeruationib; legis Moysi, siue non
 intelligentes neque principia quibus nitantur,
 nec conclusiones quas probare volunt.

Chrysostomus & Ambrosius dicunt quod ig-
 norabant illi legalia usque ad Christum tan-
 tum esse feruanda, putantes ea adhuc obſer-
 uanda Christo prædicato: Ex cap. 5. epistolæ
 ad Galatas totaqué epistola illa, item ex epi-
 stola ad Romanos, constat eos in hoc etiā er-
 rasse quod putarent hominem per ſciētiam le-
 gis fine gratia Christi posſe recte viuere, &
 Deo placere. Euacuati eftis (ait Apoſtolus) à Galat. 5.
 Christo qui in lege iuſtificamini. Et hic error
 magis huic loco conuenit. Certe si legē Moysi
 intellexissent, rectam de iuſtitia per Christum
 gratis obtinenda doctrinam habuiffent. Simi-
 liter qui nunc in studijs suis non querit ſibi &
 proximis fineſi legis, fidem, ſpem, & charita-
 té, ſed haberi doctus & magnus, facillimē de-
 clinat ad vaniloquium & hæretica dogmata.
 Quod verò pfeudoapoftoli non diligebāt pro-
 ximum ex corde puro, ſatis declaratur hoc lo-
 co, dum dicuntur quæ ſiuiffe opinionem ſcien-
 tiae & titulum doctoris. Alibi quoque ſæpè di-
 cuntur

C

cuntur

cuntur Iudaizantes, sectati terrena, vt ad Romanos 16. Huiusmodi domino nostro nō seruunt, sed suo ventri. Et capite 6. huius epistolæ, existimat quæstum esse pietatem. Et ad Titum 1. sunt multi vaniloqui & seductores maximè qui de circuncisione sunt docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Malæ quoque erant cōscientiæ isti prædoctores, sicut Apostolus dicit 2. ad Corinthios 2. cap. eos adulterasse verbum Dei, & cap. 11. vocat eos operarios subdolos, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et Apocalypsis 2. scribit Ioánes, quod Ephesi quidam mentiebantur se esse Apostolos à Christo missos, docebantque legem seruandam contra propriam cōscientiam, vt placerent Iudæis, sicut dicit Paulus ad Galath. 6. Fingebant quoque se credere in Christum, & iactabant nomen eius, cum tamen reuera aut nihil magnificè de Christo sentiret, aut crederent eum doctorem tatum esse more aliorum

Galath 5 prophetarum, non Saluatorem. Vnde Paulus vocat eos inimicos crucis Christi, evacuatores scandali crucis. Cum enim videret hi pseudoapostoli, Apostolos Christi magni fieri multosque habere discipulos, prædicabant & ipsi inanis gloriæ cupidi nomen Christi; attamen simul docebant circuncisionem & legem seruandam, quia qui se Iudæum circuncisione & ceremonijs fatebatur in primis à persecutione genti-

gentilium erat immunis; siquidem Imperatores Romani Tyberius & Caius concesserant Iudeis patro ritu viuere: deinde Iudei in Christum non credentes, non infectabantur eos tanquam à lege deficientes. Qui vero in Christum credebant, & tamen legem non seruabant & Gentilium & Iudeorum persecutionibus fiebant obnoxij, sicut ait Paulus ad Galath. 6. Qui volunt placere in carne, hi cogunt vos circuncidi, tantum vt crucis Christi persecutione non patiantur. Neque enim qui circunciduntur legem custodiunt: sed volunt vos circuncidi, vt in carne vestra gloriantur. In quem locum vide Hieronymum. His expensis optimè inteligitur quæm significaliter dixerit Apostolus hos prætores doctores fuisse impuri cordis, malæ conscientiæ, fidei fictæ. Hæc autem virtus quæ hic Paulus recenset inerant pseudoapostolis etiam ante assumptum nomen Christianum. Erant enim plerique ex Pharisæis vel eorum discipulis, sicut dicit Lucas Act. 15. Surrexerunt quidam de heresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes quia oportet circuncidi fratres, præcipere quoque seruare legem Moysi. Pharisæis autem & Legisperitis in Euangelio Dominus omnia hæc peccata improperat Matthæi 15. Improperat eis quod multas haberent traditiones cōtrarias diuinæ legi. Luc. 18. dicit quod confidebant in se tanquam iusti. Luc. 11.

C 2 quod

quod docebant legem eo modo quo præstari non posset, nempe seruanda mandata tradebatur sine gratia mediatoris, Matth. 23, dicuntur fuisse ambitiosi amantes vocari Rabbi, & quod foris quidem videretur hominibus iusti, intus autem in conscientia pleni hypocriti & iniquitate ac rapina. Itē reliquie quæ grauiora sunt legis & præcipua, nempe iudicium, & misericordiam, & fidem, unde & Dominus eos stultos & cæcos duces vocat. Ex quibus omnibus patet Apostolum Paulum eadem de illis dicere postquam simulatè in Christum crediderūt, quæ de ipsis dicit Christus antequam nomen eius assumpsiſſent. Hæresiarchas verò nostri temporis à scopo legis diuinæ aberrare, impuro esse corde, & conscientia mala, fidēq; facta, publica lux testis est. Cum enim doceant vulgo licita quæcunque placent carni, vt non esse confitenda peccata, non esse opus iejunij vel labore pœnitentiæ, cœlibatum & votum castitatis Deo displicere, sola fide in Christum perueniri ad salutem æternā, quis non videat eos quererere socios vt de impietatibus suis non cogantur erubescere, vt remorsum cōscientiæ in semetipſis possint extinguere: quis non videat eos clamare Christum, Christum, nō quia credunt in Christū, vel quia eum imitari cupiunt, vel obtinere ab eo iustitiam, sed vt splendore nominis eius facilius decipiāt? Circa hoc [non intel-

intelligentes quæ loquuntur] obijcit Theophilactus. Dicet aliquis, si ex ignorantia peccarunt, non merentur condemnationem: Et respōdet haudquaquā: nam à cupiditate regnandi ea erat ignorantia, tum ex eo quod charitatem non continerent. Proinde ignorantia istius ipsi sibi sunt authores, hoc est, quod alij doctores dicunt, illam ignorantiam non excusare à peccato, cuius sibi quis causa est.

Scimus enim quod lex bona est. Occurrat tacitæ obiectioni. Si ô Paulę condemnas tractatores legis Moyſi qui eam ab omnibus obseruādam docent, & per eam hominē Deo placere posse, vidēris etiam condēnare legem ipsam Moyſi tanquam malam, tanquam quæ Deo non placet, nec à Deo data sit. Hoc enim imponebāt Paulo pseudoapostoli, quod doceret legem esse malam, siue quod cōtrarius esset legi. Vnde Actuum 21, dicunt Iudæi Asiani, dum caperent Paulum: Viri Israëlitæ adiuuate, hic est ille homo qui aduersus populum, & legem, & locum hunc omnes vbiq; docet, etc. Et Iacobus dicit ei: Vides frater quot milia sint in Iudeis qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis, audierunt enim de te quia discessiōinem doceas à Moyſe, etc. Et infra: Scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt. Hic ostendit Iacobus falsò impositum fuisse Paulo, quod doceret Iudæos conténere Moysem,

C 3 unde

- Cap.3.** vnde in epistola ad Romanos , postquam posuit sanam doctrinam suā, obiicit sibi: Legem igitur destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus. Et iterum : Lex igitur peccatū est? Absit. Idem & Stephano fuit impositum à falsis testibus. Homo (inquiunt) iste nō cessat loqui verba aduersus locum sanctum & legem. Audiuitus enim eum dicētem quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istū & mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses. Prædicauerat enim Stephanus ea quæ euangelium dicit de euentanda Hierusalem, & quæ dixit dominus Samaritanus, eandemq; doctrinam quam posse docuit Paulus, quā illi minus intelligentes, falsò testati sunt eum aduersari legi Moyssi. Quin & domino Salvatori idē impegerunt Iudæi , quod aduersaretur legi Moyssi: Vnde iubet leproso quem mūdauerat, ut ostenderet se sacerdoti, & offerret sacrificiū præceptū à Moysè, in testimonium (inquit) illis, quod scilicet non sim aduersarius vel reprobator legis Moyssi. Hanc igitur odiosissimam calumniam diluit Apostolus , dicens se tantū reprehendere abusum siue illegitimum usum legis Moyssi, non autem ipsam legē, nec rectum eius usum. Illegitimè enim videnti mala est, sicut omnes res optimæ noxiæ siūt abutentibus. Loquitur autē Paulus de lege Moyssi, & præcipue de lege moralī siue decalogo, sicut
- & ad
- Cap.7.**
- Acto.6.**
- Luc.19.**
- Ioan.4.**
- Math.16.**
- Math.8**

& ad Romanos 7. quod satis patet ex peccatis quæ dicit cōtra legem committiti: vnde Chrysostomus laudat legem , tantum decem scilicet præcepta legis extollēs. Is autē vtitur lege legitimè , qui vtitur ea eo modo ut lex præscribit : qui vtitur ad eū finē lege, ad quē data est à Deo, hoc est , qui vtitur ea ut pädagogō ducēte ad Christum. Legitimè (inquit Theophilactus) vtitur lege, qui per legem ad Christum ducitur: lex enim cū non possit nos recte ducere seu iustificare , ad Christum remittit. Atq; hic est ipiscopus . Quocirca lege vtitur legitimè, hoc est, quemadmodum ipsa lex iubet, qui Christum legi præfert. Sic & Chrysostomus. Cum legis, inquit, destinatio sit iustificare hominem, neque id possit, ad eum trāsmittit qui potest . Sic Augustinus lib. de spiritu & litera cap.9. Lex, inquit, hoc ipso quod iubendo & minando neminem iustificat, satis indicat dono Dei iustificari hominem per adiutoriū spiritus. Vtitur igitur legitimè lege qui intelligēs Augst.
quare sit data, per eius comminationem con-
fugit ad gratiam liberatēm. Danda enim fue-
rat lex quæ sibi ipsi hominē manifestius ostendideret, ne superbus animus humanus à seipso se posse esse iustum puraret, & ignorās Dei iusti-
tiam, id est, quæ homini ex Deo est, & suā vo-
lēs cōstituere, id est, quasi suis viribus partam,
iustitia Dei subiectus non fieret. Oportebat
Augst.
epist. 144
epist. 157

itaque ut addito mandato, cuius vox est, Non concupisces, superbo peccatori etiam prævaricationis criminè accideret, atque ita gratia medicinam non sanata per legem, sed conuicta infirmitas quereret. In scripturis igitur noui testamenti discimus hunc esse finem legis arguētis, ut propter illa quæ perperam sicut confugiatur ad gratiam domini misericordis, velut

Galath. 3. pædagogo concludente in eadem fide quæ postea reuelata est, ubi & remittantur quæ male fiunt, & eadem gratia iuuante non sicut, ut dicit Augustinus lib. de natura & gratia cap. 12. qui etiam libro 14. contra Faustum cap. 7. & in expositione epistolæ ad Galathas, & innumeris alijs locis ex epistola ad Romanos & ad Galathas docet legem datam esse à Deo, non tanquam cognita possit à viciato homine statim obseruari, sed ut homo videns se etiam cognitam legem prævaricari & obseruare non posse, consugeret ad mediatorem Christum, per quem à Deo & remissionem prævaricatæ legis & impletionem ipsius accipiat. Qui igitur sic vtitur lege, ut ex ea discat suam malitiam & infirmitatem, & sic cōfugit ad Salvatorem, is legitimè vtitur lege. Similiter qui hoc sine eam alijs prædicat. Sed qui putat se cognita lege posse solis liberi arbitrij sui viribus rectè iuuere, & sic alios docet, is illegitimè vtitur lege: quales erant isti pseudoapostoli, contra quos

tra quos hoc loco agit Paulus. Docebant enim hominem iustificari siue rectè iuuere ex lege: Et hanc doctrinā (sicut suprà diximus) à Pharisæis hauserant, quibus Christus improperat apud Matthæum & Lucam, quod onerarent homines oneribus quæ portare nō possent. In quæ verba sic dicit Beda super Lucam: Non possunt onera legis portare eo modo quo isti legisperiti hæc imponebant hominibus, unde rectè audiunt, quod sarcinas eius uno digito non tangerent, hoc est, ne minimis quidē eam perficerent, quam se contra morem patrum sine fide & gratia Iesu Christi seruare, & seruandam tradere præsumebant, atque ideo iugum Christi suave & sarcinam eius leuem, ubi requies est animarum procul abijcere & extermicare tentabant, cum scriptum sit: Iustus ex fide viuit. Et Apostolus Petrus dicat: Iugū legis, neque nos, neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus saluari sicut & illi.

Sciens hoc quia lex iusto non est posita. Requirit Apostolus ad legitimū usum legis quod sciatur ipsa non esse necessaria iusto, siue non concernere iustum: quia vehiculo non est opus ei, qui iam quo tēdebat peruenit, nec pædagogo siue minis ac flagellis ei qui iam eruditus est. Is igitur abutitur lege qui per eam terret iustum, vel minas eius & severitatem ad iustum perti-

Abac. 2.
Rom. 10.
Act. 15.

IN I. AD TIMOTHEVM

pertinere docet. Sicut isti pseudoapostoli ter-
rebant minis legis fideles simplices, allegantes
Deut.27 illud: Maledictus qui non permanferit in om-
nibus quæ scripta sunt in libro legis ut faciat
ea. Et illud: Mæsculus incircuncisus peribit de
Gene.17 populo suo. Et: Anima quæ comederit sanguinem,
peribit de populo suo, & multa similia.
Leuit.7. Et Act.15. terribiliter valde insonabant: Nisi
circuncidamini secundum morem Moysi, non
potestis saluari. Epiphanius quoque in hæresi
Quartodecimanoru, quæ Iudaizantium erant
reliquæ, dicit eos allegare ex lege Moysi: Ma-
ledictus qui non facit Pascha die 14. mensis.
Vnde & Polycrates huius hæresis defensor
respondebat Victori Pontifici: Obedire oportet
Deo magis quam hominibus, sicut recitat
Eusebius lib.5. cap.24. Cōtra hos igitur pseu-
doapostolos diligenter docet Paulus, eos qui
bene operātur non instructi per legem Moysi
esse verè saluādos, nec in eos competere quic-
quid lex Moysi minatur. Ut ad Rom.2. Cum
gentes quæ legem non habent, etc. Et si præ-
putium iustitias legis custodiat: nōne præpu-
tium illius in circūcisionem reputabitur? Item
cap.7. Soluti sumus à lege mortis in qua deti-
nebamur, ita ut seruiamus in nouitate spiri-
tus, etc. Et cap.8. Nihil damnationis est his qui
sunt in Christo Iesu, qui non secundum car-
nem ambulant. Lex enim spiritus vita in
Christo

C A P V T I.

14

Christo Iesu liberavit me à lege peccati &
mortis. Item in epistola ad Galath.3. Christus
nos redemit de maledicto legis, factus pro no-
bis maledictum. Et cap.5. Si spiritu ducimini,
non estis sub lege. Et aduersus huiusmodi (sci-
licet habentes fructus spiritus, vel aduersus ip-
pos fructus) nō est lex. Sic & hoc loco dicit le-
gem iusto non esse positam, siue supplicium le-
gis non concernere iustos. Solidum huius loci
commentarium atque optimam explicatio-
nem habet August.lib.de spiritu & lite.cap.9.
& 10. Omnes, inquit, peccauerūt & egent glo-
ria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, non
itaque iustificati per legem, non iustificati per
propriam voluntatem: sed iustificati gratis per
gratiam ipsius, nō quod sine voluntate nostra
fiat, sed voluntas nostra ostenditur infirma per
legem, ut sanet gratia voluntatem, & sanata
voluntas impleat legem, non cōstituta sub le-
ge nec indigēs lege: iusto enim lex non est po-
sita, quæ tamē bona est, si quis ea legitimè vtat-
tur. Hæc duo Apostolus velut inter se contra-
ria connectens, monet mouētq; Lectorem ad
perscrutandam quæstionem atq; soluendam.
Quomodo enim bona est lex, si quis ea legitimè vtatur,
si etiam quod sequitur verum est, sciens hoc, quia lex iusto non est posita; nam
quis legitimè vtatur lege nisi iustus? & ei non
est posita, sed iniusto, an & iniustus ut iustifi-
cetur,

IN I. AD TIMOTHEVM

cetur, id est, ut iustus fiat legitimè lege vti debet, qua tanquam pædagogo perducatur ad gratiam per quam solā quod lex iubet possit implere? per ipsam quippe iustificatur gratis, id est, nullis suorum operum præcedentibus meritis, alioqui gratia iam non est gratia, quandoquidem ideo datur, non quia bona opera fecimus, sed ut ea facere valeamus, id est, non quia legem impleuimus, sed ut legem implere possumus. In iustus ergo legitimè vtitur lege, ut iustus fiat: quod cum factus fuerit, ea iam non vtitur tanquam vehiculo cùm peruenierit, vel potius (ut supradicta similitudine Apostoli vtar) tanquam pædagogo cum eruditus fuerit. Quomodo enim iusto non est lex posita, si & iusto est necessaria? non qua iniustus ad iustificantem gratiam perducatur, sed qua legitimè iam iustus vtratur, an forte, immo verè, non forte, sed certè sic legitimè vtitur lege iā iustus cum eam terrendis imponit iniustis, ut cum & in ipsis cœperit inolitæ concupiscentiæ motibus incentiuo prohibitionis & cumulo præuaricationis augeri, confugiatur per fidem ad iustificantem gratiam, & per donum spiritus suavitate iustitiae delectati poenâ literæ, id est, legis minantis euadant. Ita non erunt contraria, neque inter se duo ista pugnabūt, ut etiam iustus bona lege legitimè vtratur, & tamen lex iusto posita non sit. Non enim ex ea iustificatus est,

CAPVT I.

15

tus est, sed ex lege fidei qua credidit nullo modo sua infirmitati ad implenda ea quæ lex factorum iubet nisi diuina gratia subueniri. Hec August. Sed obijcies ad vitam rectè instituendam etiam iustitia nec necessaria est lex decalogi & quæcunq; moralia in lege Moysi prescribuntur, sicut dicit August. lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum ca. 4. & omnibus hoc manifestum est. Immò per Hieremiam & Ezechielem pro magno munere promittit dominus filijs noui testamenti: Dabo leges meas in cordib; eorum, & in mentibus eorum scribam eas, & faciam ut præcepta mea faciatis. Quomodo igitur dicit hic apostolus quod lex decalogi iusto non est posita? Respondendum est cum Augustino lib. 15. cap. 8. contra Faustum. Sponsa Christi Ecclesia non litigiosa cœcatur, sed intus intendit verbis Apostoli, ut intelligat quid appelleret legem, sub qua iam nos non vult esse, quia transgressionis gratia posita est, donec veniret semē cui promissum est, & quia subintravit lex ut abuidaret delictum; Rom. 5. ubi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia; Nec tamen ideo eandem legem peccatum vocat, quia sine gratia non iustificatur, auget enim potius reatum præuaricationi addita; Vbi enim non est lex, nec præuaricatio, & ideo per seipsum cum sola litera est sine spiritu, id est, lex sine gratia tantummodo reos facit.

facit. Sed proponit sibi quod putare minus intelligentes possunt, & aperit quid dicat, cum Rom. 7. ait: Quid ergo dicemus, Lex peccatum est? absit, etc. Sicut scientia cum charitate, non solum non inflat, sed etiam firmat. A litera cum spiritu & lex cum gratia, iam non eodem modo litera & lex appellatur, sicut per seipsum cum occidit abundate delicto. Ita enim lex & virtus peccati dicta est, cum auget eius noxiā delectationem per seueram prohibitionē. Nec tamen etiam sic mala est, sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum est mortem. Hæc August. Sicut igitur apud Apostolum opera legis & iustitia quæ est ex lege vocantur illa quæ præstantur & habentur ex sola scientia legis, non ex fide & spiritu Christi (ut rectè docet Augustin. lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7. & in præfatione tractatus Psalmi 31.) sic hoc loco Apostolus accipit legē, prout sola est, seclusa fide Christi mediatoris & spiritu iustitiae, quem dat Christus. Sic enim pseudo apostoli vrgebant legem, docebānque eam sic impleri, sicut dicit Apostolus ad Rom. 9. Israël sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Christum Salvatorem rem & finem legis deserebat, umbras legis pro rebus amplexabantur, & moralia præcepta legis sine Dei auxilio implere conabantur.

nabantur. Vide Aug. contra Adimantum Manichæum cap. 16. & lib. 3. de doctrina Christiana cap. 6. Si autem lex sola sic accipiatur nihil aliud facit, quæ quod demonstrer homini quid sit peccatum, & quod supplicium peccato debeatur & huius occasione superbus homo & malus etiam sciens peccat, & in maiorem damnationem incidit. Secundum hæc igitur officia augere peccatum & damnationi reddere obnoxium, lex non est posita iusto. Hæc explicat Apostolus in epistola ad Romanos & ad Galathas vocula (sub) Non estis, inquit, sub lege; Et aduersus huiusmodi non est lex. Vnde Augustinus in 2. caput ad Galathas scribens, virginet in his verbis Apostoli, dictionem, posita. Deo, inquit viuit qui sub Deo est. Legi autem viuit, qui sub lege est. Sub lege autem viuit in quantum quisque peccator est, id est, in quantum à veteri homine non est mutatus; sua enim vita viuit, & ideo super illum est lex, quia qui eam non implet, infra illam est, nam iusto lex posita non est, id est, imposta, ut supra illum sit; In illa enim est potius quam sub illa. quia non sua vita viuit, cui coercendæ lex imponitur. Ut enim sic dicam, ipsa quodammodo lege viuit, qui cum dilectione iustitiae iuste viuit, non proprio ac transitorio, sed communī ac stabili gaudens bono, & ideo Paulo lex non erat imponenda, qui dicit: Viuo autem, non ego, viuit vero Galat. 2.

verò in me Christus. Quis verò audeat Christo legem imponere , qui viuit in Paulo, non enim audet quis dicere Christum non rectè viuere, vt ei coērcendo lex imponenda sit. Vide præterea tractatū 3. Augustini in Ioannem. Item epistolam 19. ad Hieronymum . De natura & gratia cap.57. De gratia & liber. arbitr. cap. 12. Quod igitur Apostolus de pœna ciuili loquens, dicit ad Rom. 13. Principes non sunt timori boni operis, sed mali , hoc idem hic dicit de pœna legis diuinæ. Aliter explicat usum legis Ioānes Brentius hæreticus in confessione sua: vbi docet manifestè contra hunc locum Apostoli legem positam omnibus & iustis & iniustis , ipsamque testimoniū ferre de iniustitia hominis , & de ira Dei aduersus omnes homines, iuxta illud: Maledictus omnis qui non permisérit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea: putatque legem cum spiritu occidere, sicut sine spiritu, quia videlicet iusti carne adhuc concupiscentes contra spiritum, non perficiunt iustitiam , & sàpè in multis offendunt. Vbi non aduertit scripturam aperte testari iustos obseruare legem , vt ad Roma.2. Gentes quæ legis sunt faciunt, & præputium legis iusticias custodit & legem consummat. Et ad Rom.8. Iustitia legis impletur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, etc. & yna pars noui testamenti est : Fa-

Deut. 17

Ezec. 6.

ciam

ciam vt præcepta mea faciatis. Similiter non aduertit legem promittere vitam seruantibus mandata, etiam si eam non perficiant, manda- Leuit.18 ta faciēs homo, viuet in illis . Lex quoq; mor- Rom.10 tem nō minatur, nisi legem violantibus mag- nis peccatis , sicut hoc loco Apostolus dicit: Non iusto, sed impijs & sceleratis positarū le- gem. Et ad Roma.7. docet esse solutos à lege mortis, nec amplius passiones peccatoris quæ per legem erant fructificare morti, & ca.5. do- cet nos non amplius esse impios , peccatores Deo inimicos, vt antea eramus, sed iā reconciliatos. nullo enim pacto hoc haber legis diui- na iustitia , vt homo in quo regnat iustitia & Spiritus sanctus propter exiguos prauos mo- tū vel leuiā peccata deturberetur à iustitia ad plenam iniquitatem, subtrahatur spiritui Dei, & tradatur diabolo possidendus. Imo secundū legem Dei, qua Apostolus explicat, iustitia se- men est vitæ æternæ : Qui seminat in spiritu, Galat.6. inquit, de spiritu metet vitam æternam: nullo autem modo iustum est , vt qui ex maxima parte à medico Christo sanatus est , & adhuc se sanandum præbet, auferatur medico & de- trudatur in mortem : sicut natura non haber, vt ob modicum vulnus vel infirmitatem ho- mo moriatur, etiam si egeat medico, ne ad læ- thalem infirmitatē deueniat, si à medico vul- nus non sanetur: ita iustus eget Christo medi- D co qui

co qui sanet concupiscentiam eius, & dimittat omnia peccata, sed nōdum meretur aeternum supplicium: At si medicum Christum respuat etiam in exiguis morbis suis spiritalibus, iam hoc lethale vulnus esset. Exigitur quidem à lege exacta iustitia, quia debet sanandus scire ad quam sanitatem aspirare & admiri debeat, & ad quam regulam reparetur, quātūmq; sibi de integra sanitate desit, & quatenus medico īdigeat: Sed ob hoc non est dicendus iustus violare legem, quia nō perficit eam, sicuti non continuo agrotus ille dicitur qui perfecte sanatus nō est: multò minus requiritur vt morbus semper lethalis maneat. Imò hoc multum derogat medico. Similiter non omnis ille qui solem Meridianum absque nubibus nō videt in tenebris est, imò illuminatus est, etiam qui ex crepusculo lumen habet vel candelam in nocte: his similibus ex sanitate & lumine sumptis scriptura frequenter vtitur ad declarandam iustitiam. Vide August. epistola 29. ad Hieronymum. Differentia quidem illorū peccatorum quæ iusti habent & eorum quæ damnationi legis obnoxios faciūt, nō debet explicari dū docetur quid lex vetus præstare possit, eò quod in lege veteri nihil agitur de hominis reparatione vel sanatione, nec vsquam inueniri potest ex lege qui carnem vincat, & leui bus tātum peccatis subiaceat. Sed hæc res tota expli-

explicāda est, dum de reparatione hominis in Christo, iustificati agitur: Statuit enim Christus quomodo per eleemosynas, preces & similia peccatorum leuum iusti per sanguinem eius veniam obtineāt. Imaginatur autē Bren-tius sic requiri perpetuam peccatorum remissionem peñæ aeternæ, sicut requiritur perpetua sanatio & adiutorium Dei: cōtra Apostolum docentem iustos non esse amplius Deo inimicos, nihil esse eis damnationis, Chirographum peccati quod erat cōtrarium nobis esse deletum. Interēa tamen docet perpetuū veterem hominē exuere & induere nouum, mortificare facta carnis & ambulare secūdum spiritum. Sic August. doceat plenam remissionem peccatorum fieri in baptismo nō tamen sanationem plenam, libro 14. de Trinitate cap. 17. & libro 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 27. Item libro primo contra duas epistles Pelagianorum cap. 13. vbi tāquam contra nostri temporis hæreticos agens: quis (inquit) nisi infidelis affirmet baptisma non auferre crimina, sed radere, vt omnium peccatorum radices in mala carne teneātur, nec propter ipsam concupiscentiam cuius iam reatus lauacro regenerationis absumptus est, dicunt in oratione baptizati, Dimitte nobis debita nostra. Idem dicit in fine libri de perfectione iustitiae & tractatu tertio in Psal. 118. Ex hoc

Rom. 8.
Colos. 2.
Colos. 3.
Ephe. 4.

Rom. 8.
Galat. 5.

D 2 autem

autem absurdissimo principio quo putantur iusti digni supplicio æterno ob motus concupiscentiæ & leuiæ peccata, eo progradientur Bré-tius, vt doceat Christum non cōdemnaturum impios propter violatum decalogū. Itē quod iustos non remunerabit vita æterna propter bona opera, sed propter solam fidem, contra apertas scripturas innumerās; Et Paulum ad Rom. 2. & hoc loco, vbi dicit nō iustos, sed impios omnes legi esse reos. Certè dum docetur sola fides & non bona opera profutura, & sola infidelitas non alia mala opera obfutura omnis virtutis subſidium auferunt & solius fidei hæreticæ ſtudium inſerit.

Et non subditis, hoc est, nolentibus fuldi, non ferentibus imperium, rebellibus, inobedientibus, Impijs, scilicet in Deum. Et peccatoribus, nomen peccator criminosum significat & grandibus sceleribus obnoxium, quem omnes merito reprehendunt, Sceleratis, id est, irreuerentibus, qui nec Deum, nec hominem timent. Et contaminatis, hoc est, prophanis, qui rebus sacris aduersantur vel naufragant super eis, qui quādo omnes religioni student, ſecularibus rebus ſe occupant. Periuris, qui falſum iurant, vel iuramentum non seruant, Plagiarijs, qui furantur alienos ſeruos vel filios. Mendacibus. Apost. loquitur de illis mēdacijs qui mortaliter peccāt, vt ſunt illi qui mēdacijs ſuis nocent alteri.

Et ſi

Et si quid aliud ſana doctrina aduersatur. Chrysostomus & Oecumenius & Theophilactus intelligunt Apostolum generaliter omnia vitia complecti quæ hominem à regno Dei separant, vt ſunt, odia, inuidia, ebrietates, eſſe aleatorē, & similia. Dicuntur autem hæc prava opera aduersari ſanæ doctrinæ, quia impediunt effectum ſanæ doctrinæ, nempe bonam vitam, ſicut dicit Apostolus quosdam factis negare Deum & fidē. Doctrina autem Tit. 1. ſana dicitur, quia nihil habet mēdacijs vel corruptionis, ſed tota integra eſt & pura, & hominem plenè ſanat dum ſanatorem Christum demonstrat. Commētarius Ambroſio inscriptus intelligit hoc loco, Et ſi quid aliud ſanæ doctrinæ aduersatur, notari vnu speciale peccatum, nempe quo quis aduersatur ſanæ doctrinæ euangelicæ, quale erat pſeudoapostolorum & Iudeorum peccatum. Tanquam dixiſſet Paulus, vt omne id quod aliud eſt à ſana doctrina noſtra, quodque ſanæ doctrinæ aduersatur, eſt ſub legis maledicto, ſiue illi lex eſt poſita: ſic habet ille commētarius. Non ſolum propter malos actus & vitia corporis legem datam dicit, ſed & propter perfidiam quæ ſpernebant creatorem. ſic & Pelagij commētarius Hieronymi operibus inſertus. Sunt ergo Tomo 9. (inquit) doctrinæ nō ſanæ, cōtra quas etiā data eſt lex, quæ cōtrariæ ſunt cœleſtibus institutis.

D 3 Quæ,

IN I. AD TIMOTHEVM

Qua, scilicet, sana doctrina, est secundum, id est, conformis est, euangelium gloriae, bono nuncio. Bonum est nuncium, quo scilicet annuntiatur gratia Dei, per quam Deus gloriosus apparet; nusquam enim tam gloriosus apparet, quam in mysterio redemptionis generis humani & gratuita nostra liberatione per Christum. Nomen gloriae, in scripturis frequenter pro gloria gratia ponitur, & ad Roma. 3. Omnes peccauerunt & egent gloria Dei, Esa. 6. Plena est omnis terra gloria eius, & 58. Gloria domini colligere, & 60. Gloria domini super te orta est, & gloria eius in te videbitur. Beati Dei, Pulchre addit, Beati Dei: ex nimia enim Dei beatitudine & plena felicitate prouenit quod dignatur perditum hominem reparare; sicut enim miseria causa est inuidia, ita felicitas causa est misericordia. Opponit autem euangelium gloriae, legi de qua loquutus est tanquam diceret: Lex ostendit peccatum & non auferit, & proinde infert supplicium, sed per euangelium annuntiatur Deus auferre peccata, & supplicia, dare pietatem & vitam aeternam per Christum. Quod euangelium creditum, id est, commissum est mihi, ut annunciem illud. Putat Occumenius hoc Paulum adieciisse ut distingueret verum euangelium a confictis pseudoapostolorum euagelijs. Sicut Lucas in proemio euangelijs dicit multos co-

C A P V T . I. 20
natos ordinare narrationem euangelicam, qui tamen reprobati sunt. Vide Hieronymum in praefatione in Matthæum.

Gratias ago ei qui me confortauit in Christo Iesu. In, redundat, & Ambrosius interpretatur, ut Christo, iungatur cum, ei, Christo se dicit gratias agere. Graeci referunt hoc ad proximè precedens, ne videlicet arroganter videatur dixisse, quod sibi commissum sit euangeliū. Potius videtur hoc dicere, ut se tanquam exemplum ponat, ut ex eo intelligatur quid sit esse sub lege, & quid sit, esse liberum à lege. *Confortauit.* Graeci intelligunt hanc potestiam in hoc, quod fortis factus est ad annunciadum euangelium & subiectum tot tribulationes & miseras. Ambrosius intelligit eum gratias agere de conversione ad fidem, dum ait: *Qui me confortauit.* deinde de ministerio apostolatus, dum ait: *Ponens in ministerio.* Omnis, inquit, incredulus infirmitatem animi patitur constrictus carnali ratione, ne credat spiritali. Idcirco se Christo gratias agere dicit, quia appetitia maiestatis suæ imbecillitatem mentis suæ roborauit, quia impossibile putabat esse, quod de domini potestate & gemina nativitate & resurrectione & spe predicabatur: confirmatus autem talis visus est qui dignus esset ac posset esse dispensator sacramenti domini, ut ea vera per legem firmaret quæ prius amore legis incre-

D 4. dibilita-

dibilia iudicabat. Hæc Ambrosius.

Quia fidelem me existimauit. Gratias , inquit, ago Christo, qui mentem meam robustam ad fidem effecit, quia iudicauit me tantè esse fidei qui prius in lege fueram infidelis, vt committeret mihi ministerium vocādi alios ad fidem.

Matt. 16. dicitur: Beatus es Simon Bariona, quia pater meus reuelauit tibi. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & ego pro te rogaui, etc. Propter magnitudinem enim fidei iudicatus est Petrus idoneus, vt Ecclesia esset fundamentum.

Sic Paulus hoc loco dicit se propter fidem robustam positum in ministerio apostolatus. Seqùè autem Apostolus fidem fortitudinem vocat, vt ad Roma. 4. Abraham confortatus est fide, &c ad Ephes. 2. Corroborari per spiritum eius in interiori homine. Christū habitare per fidem in cordibus vestris. Aëstimat autē Deus aliquem fidelem, dum eum fidelē facit. Vnde & Paulus de dono fidei sibi misericorditer col lato, gratias agit. Græci interpretatur fidelem non pro credente, sed pro eo qui in rebus sibi commissis non est negligens vel frauduléts.

1. Cor. 4. Hic quaritur inter disp̄satores vt fidelis quis inueniatur. Sed quia Paulus præcipue hic agit de cōuersione sua, qua ex lege trāslatus est ad Christum, magis placet expositio Ambrosij.

Qui

Qui prius fui blasphemus. Exaggebat Dei misericordiam, & ostendit qualis fuerit constitutus sub lege: Qui prius cum adhuc sub lege essem fui blasphemus, non solum infidelis eram in corde meo, sed apertè ore professus sum infidelitatem meam, & Deo maledixi, Saluatorē Iesum subsannans & maledicens. Et persecutor, nec solis verbis blasphemaui eum, sed & rebus & factis conatus sum extinguerre nomen Saluatoris, persequens credentes in eum multis afflictionibus, & contumeliosus. Græcè est violentus. August. legit injuriosus, quiod Latinè oppresorem dicimus, & est sensus: Non solum volui extinguerre nomen Christi persequendo fideles, seruato in speciem ordine iudicario, sed etiam vi illata contra ius omne & æquum. Sic Actorum 21. Iudæi simili zelo volunt occidere Paulum, & Act. 23. Ananias sacerdos nulla prævia sententia cædi eundē iubet. sed misericordiam Dei consecutus sum. Græci legunt, sed & misericordiam Dei consecutus sum, quasi diceret, sed etiam ego tam sceleratus misericordiam consecutus sum.

Quia ignorans feci in incredulitate. Græci & Ambrosius & August. tractatu in Psal. 50. intelligunt dictum Pauli, quasi extenuet peccatum suum, tāquam si diceret: Facilius veniam obtinui, quia nesciens & per ignorantiam ex infidelitate ortam feci hoc malum. Sed omnino non

IN I. AD TIMOTHEVM

nō non apparet hoc loco illud sentire. Apost. quia vt exaggeret Dei misericordiā, & nemo desperet, se facit primum peccatorum. Posse sentque Paule respondere, qui scientes peccauerūt (vt David) tu Paule non es nobis exemplum venia, sed tantum ijs qui ignorātes peccant? Huc accedit quod ignorantia ex insidelitate orta non minuit peccatum, nec scriptura solet ad excusationem allegare talem ignorantiam, vt Psal.57. Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa. Et Psal.78. Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt. Et sic Sapientiæ 2. dicitur: Per accusationem excœcauit eos malitia eorum. Et Christus similiter in Euangelio Pharisæos cœcos vocat. Ipse quoque Apostolus Paulus cum ad Romanos 1. dicit: Obscuratum est insipies cor eorum. Et ad Ephes.4. Gentes ambulant in vanitate sensus sui, obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis propter cœcitatem cordis ipsorum. Et 2. ad Thessalonicenses 1. In flamma (inquit) ignis dantis vindictam ijs qui non nouerunt Deum, accusat nō excusat. Ad Roma. quoque nono & decimo, & hoc capitulo, dum dicit, non intelligentes neque quæ loquuntur, etc. grauiter accusat cœcitatem illorum, qui ignorantes Dei iustitiam suam vorabant constituere, & ideo in Saluatore crucifixo

Matth.22,

C A P V T . I.

22

cœfixo scandalizabantur. Ex horum numero erat Paulus. vnde expresse ad Titū 3. seipsum accusans dicit: Eramus aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, etc. Videtur igitur & hoc loco, dum dicit: *Ignorans feci in incredulitate*, peccatum suum exaggerare non extenuare. His igitur (vt arbitror) animaduersis glosa ordinaria, & Petrus Lombardus aliter exponunt hunc locum, vt, quia, ponatur pro quod, & sit sensus, veniam consecutus sum de eo quod feci ignorās per incredulitatem; siue, veniam obtinui totius erroris & infidelitatis meæ. Videtur autem potius hoc loco reddere causam cur misericordiam consecutus sit ex magnitudine peccati sui, sicut ad Rom.11. dicit: Conclusit Deus omnia in incredulitate vt omnium misereatur: vt sit sensus, quia Deus videt me per infidelitatem adeò excœcatum vt mala mea nō agnoscerem & Saluatorem extinguere conarer, quia videt me planè despatu, ideo mera misericordia sua præuenit me & sanauit: sicut bonus pater videt filium usq; adeò malum & rebellem vt ipsum velit perdere, & adeò cœcum vt ne semel quidem cogitet redire in gratiam filium præoccupat, vt velit reconciliari; propterea quod spes nulla sit, quod gratiam ambiet. Sicut medicus quò venit, querit aliquem ibi desperatum & ipsum sanat, & si pauperrimum inueniat, tamē desperatum

propitiaberis peccato meo, multum est enim; Psal.78.
Cito anticipet nos misericordia tua, quia pauperes facti sumus nimis. Tempus faciendi domine, dissipauerunt legem tuam. In qua verba vide Ambrosium. Esaiæ 64. Et facti sumus ut immundi, omnes nos, & quasi panus menstruatae vniuersitate iustitiae nostræ, & cecidimus quasi folium vniuersum: & iniuriantes nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui invocet nomen tuum, Simillimus autem locus est cum hoc Apostoli loco. Luc.23.cap. Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Quod dictum Leo Papa sermone 15. de passione domini de his intelligit quos malitia excœcauit. Similiter August. serm. 8. de verbis Apostoli. Desperatè, inquit, ægrotat, qui per insaniam medicum cœdit, qualis ergo eius insaniam qui medicum occidit? quanta vero bonitas & potentia medici qui de sanguine suo insano interfectori suo medicamentum fecit? neque enim ille qui venerat querere & saluare quod perierat pendens sine causa, dicebat: Pater ignosce illis, quia neciunt quid faciunt, insanii sunt, medicus sum, saeviant, patienter fero, tunc sanabo cum occiderint.

Superabundauit autem gratia, id est, supra modum profusa & copiosa fuit, Domini nostri Iesu Christi cum fide & dilectione, id est, simul das mihi fidem & dilectionem, Quæ est in Christo Iesu, id est,

IN I. AD TIMOTHEVM
ratum inueniat, non ibi mercedem querit, sed commédat artem, inquit August. sermone 9. de verbis Apostoli. Et hic redditur causa non ex parte meriti peccati, sed ex parte bonitatis diuinæ, sicut dum impij persequuntur aliquem propter iustitiam, iustitia causa est ex parte malitia eorum non ex rei natura. Ita peccatum causa est summæ bonitati, ut subueniat. Sic hūc locum tractat August. ser. 8. & 9. & 10. de verbis Apostoli. Similis locus est Genes. 8. Nequam ultra maledicam terræ propter homines. Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Sic Esaiæ 7. dicitur: Propter quod molesti estis Deo meo, dabit dominus ipse vobis signum. Et saepissimè in prophetis dicitur Deus reddere bona pro malis. Ita Psal. 77. Abundauit ut auerteret iram suam & non accendit omnem iram suam, & recordatus est quia caro sunt spiritus vadens & non rediens. In qua verba August. Ideo, inquit, eos vocando & miserando per gratiam suam ipse reuocauit, quia per seipso redire non possent. Similiter ad Rom. 3. dicitur Christus propositus propitiator propter labores & corruptionem quam intulerant præcedentia peccata. Extant frequentes in scripturis orationes ad Deum quibus oratur, ut misereatur propter multitudinem peccatorum mortuumq; desperatum, ut Propter nomen tuum propri-

Psal. 14.

id est, per. Fides enim & dilectio & remissio peccatorum datur à Deo per Christū non per legem. Fuit autem copiosa gratia facta Apostolo Paulo , dum non solum peccata eius dimissa sunt & vulgaris Christianus effectus est: sed etiam est ei reuelatum euāgeliū à Christo, & robustissima fides,necnon ardentissima dilectio & maximę consolations internę datę, et Apostolus constitutus est,variisq; chrisma tibus Spiritus sancti donatus . Posset fortassis illud [Super]abundauit autem gratia,etc.,referri non ad solum Paulum, sed ad totam Ecclesiam,super quam copiosę in die Penthecostes, et deinceps gratia Spiritus sancti effusa est ac donata omnibus simul fidelibus fide et dilectione,per Christum,sicut ad Rom. 5.dicitur: Vbi abundauit peccatum , superabundauit et gratia.

Fidelis,id est, certus et indubitatus,sermo,scilicet est,sermo(inquam)quem dicam: Illud *fidelis*,opponitur fabulis,q.d.minimè fabulosus, qualis est sermo pseudoapostolorum: vnde in vitaque epistola ad Timotheum et ad Titum vritur hac forma loquendi,fidelis sermo: nam in illis epistolis solis meminit fabularū. Et omni acceptione, id est, approbatione dignus, scilicet quem omnes recipient,omnes credant. Et si (inquit)magna et præclara sint Dei beneficia, certissimè tamen sic se res habet,nec ex beneficij

ficij magnitudine quisquam aliquid debet habitationis cōcipere. Ambrosius legit, humanus sermo,et interpretatur, iucundum atque gratum: Similiter legit Augustinus , Dicitq; eum sermonem sic esse humanum et diuinum,sicut Christus est Deus & homo , & maluisse Apostolum vocare humanum , quia agebat dē aduentu Christi in carnem , & magis quid velit explicans dicit:Si ille homo dicitur humanus qui in domo suscipit hominem , quam humanus est Deus qui in seipso suscipit hominem. Varietas lectionis videtur orta ex varietate Cræcorum codicum.

Quod Christus Iesus venit in hunc mundum, scilicet assumpta humana natura atque miseria secundum quam naturam in mundo nō erat. *Peccatores*,hoc est,impios,criminosos, *Saluos facere*,à peccatis suis. Saluat autē à peccatis,dum peccata commissa ignoscit,& deinceps peccata cauere donat , & ad eam beatitudinem vbi peccata comitti non possunt perducit. Hoc dogma est illud, quod Apostolus Iudaismum docentibus opponi vult, qui non à Christo, sed à lege salutem petebant,hoc est, à seipsis per legem instructis. Ex hoc loco recte colligit Augustinus sermone 9. & 10. de verbis Apostoli, & libro 1. de peccatorum meritis & remissione cap.26.& 29.paruulos recés natos esse peccatores,nam alioqui Christi aduentus , ad eos non

non pertinerer, Et ita frustra baptizarentur in morte Christi. Nulla (inquit) causa fuit venie-
di Christo domino , nisi peccatores saluos fa-
cere: tolle morbos , tolle vulnera & nulla est
causa medicinæ . Pulchrè Thomas in cōmen-
tarijs huius loci:Hæc quæstio,inquit, an Deus
incarnatus fuisset, si homo non peccasset, non
est magna authoritatis , nam Deus ordinavit
facienda secundum quod res facienda erant,
& nescimus quid ordinasset si non præsciuis-
set peccatum . Tamen authoritates videntur
expresse sonare quod incarnatus non fuisset, si
non peccasset homo. *quorum* peccatorum , Ego
Paulus sum *primus* , non tempore, sed malitia,
quia sicut ait Augustinus sermone 9. de verbis
Apostoli & prefatione in Psal. septuagesimum
omnibus prior fuit Saulus , & sermone 10. de
verbis Apostoli nemo acrior inter persecuto-
res . Sed quomodo certus erat Apostolus se
omnibus alijs saltem sui temporis peccatori-
bus esse priorem? Respondendum est Aposto-
lum non dicere tanquam certam historiam se
esse omnibus priorem, sed haec tenus hoc dicit,
quia Spiritu sancto illustratus certo nouit su-
pra modum grādem fuisse suam iniquitatem,
& in eam ex vera humilitate valde intende-
bat oculos mentis , quomodo nullius alterius
iniquitatem expēdebat: quin de quolibet præ-
sumebar meliora vel plures habere causas pec-
catum

catum eleuantes . Erat igitur peccatorum ve-
ro & recto iudicio mentis suæ . Quemadmo-
dum ergo rex aliquis eum larronem , cuius
crimina pro tribunali conuicta sunt , recte
dicit esse pessimum inter subditos suos , quia
aliorū scelera,cum eum lateant præsumit non
esse tanta: Sic & quilibet debet veraciter iudi-
care se esse maximum peccatorē,quia sua pec-
cata,tanquam certa p̄æ oculis habere deberet,
& de alijs meliora præsumere . Non enim fallit
nos (inquit August.) aut adulatione potius vt Lib. 8.
Apostolus iubet , dicens alter alterum existi-
mantes superiores sibi , non hoc ita debemus
estimare,vt non existimemus, sed nos existi-
mare fingamus, sed verè existimemus aliquid
occultum esse posse in alio quo nobis superior
sit etiam si bonum nostrum quo illo videmur
superiores esse, non sit occultum . Idem dicit in
libro de sancta virginitate cap.47. Sicut igitur
docet Apostolus vt alter alterum iudicet se-
ipso meliorem , ita quisque debet sua peccata
grauiora estimare quā alterius , sua debet ante
oculos habere & ponderare, aliorum peccata
extenuare vel non attendere . Hac igitur con-
sideratione dixit Apostolus se esse præmium
peccatorū: sicut benè indicat Ambrosius . Pri-
mum (inquit) se omnium peccantium vocat,
quonia[m] p̄æ ceteris sacraméto se imbuit Sal-
uatoris, propius ad magnificentiam eius acce-
ptum

E dens

IN I. AD TIMOTHEVM

dens accusat se magis, qui tantum bonū tardē agnouit: nec vltro, sed misericordia eius, quem prius vt hominem mortuum aestimauit. Illustrius autem dictum Apostoli intelligitur si grauitas peccati eius expeditatur. Difficile enim par iniquitas inuenitur. Is primus enim infidelis erat, & hoc circa præcipuum articulum fidei. reputabat enim hominem iustificari sine gratia Saluatoris, & errabat circa verum Salvatorem, & excusationem nō habebat de hac infidelitate propter innumera miracula Christi & Apostolorum & multitudinem credentium etiam sacerdotum, maximè quia in lege & prophetis eruditus erat, quibus si credidisset, & bona mente incubuisset, Christum agnouisset. Porro tam obstinatus erat in sua infidelitate vt superstitione reputaret se per eam placere Deo, ideoque totus sine vlo retractu vel remorsu in eam prauitatem ferebatur, nec solū dolebat de dilatatione fidei & gratiæ Christi, sed etiam contumelijs fidem infectabatur, imò & operibus, & vi conabatur extinguere omnes fideles. Si iam huic magnæ nequitia adiungamus alia eius scelera, quæ ad Ephes. 2. & ad Titum 2. de se recenseret, videbimus eum seriò aestimasse se esse primum peccatorū & quam insignis gratia ei sit exhibita.

Quæratur hic iam aliquis quomodo Apostolus iam iustificatus dicat: Ego sum primus pecca-

C A P V T . I. 26

peccatorum, cum iam sceleratus non esset, videaturq; debuisse dicere, Primus peccatorum fui. Respondendum est, quod Apostolus cum versatur in materia gratiæ & legis, spiritus & literæ accipit legem & literam vt sint à spiritu & gratia distincta, sicut dictum est circa illud: Lex iusto non est posita. Similiter cum disputatur de gratia & cōparat eam ad hominem, intelligit hominem secundum vires suas fictas à gratia, vt ad Rom. 10. Suam iustitiam volentes cōstituere iustitiae Dei non sunt subiecti, & ad Philippenses non habens mēa iustitiam, sed eam quæ ex Deo est, & ad Titū: Non ex operibus iustitiae quæ fecimus nos, hoc explicat in epistola 2. ad Corinthios 15. Non sum dignus vocari Apostolus, cum tamen ex gratia Dei dignus esset, sicut subiungit, sed gratia Dei sum id quod sum, &, plus omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum: Quod Augustinus libro de gratia & libero arbitrio cap. 5. interpretatur non ego solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Sic igitur hoc loco, quia considerando se seorsum à gratia, videbat permansurum fuisse in pristinis sceleribus, imò plus peccaturum, & quantum ad ipsum solum attinebat nihil fuisse mutandum, idēc dicit sum primus omnium peccatorū. Similiter Mathæus iam Spiritu sancto Matt. 10:

E 2 reple-

repletus, adhuc se vocat Publicanum. Pulchrè Augst. 2. lib. Confessionum cap. 7. & 10. lib. Cōfes. cap. 31. Domine gratiæ tuæ deputo quæcunque non feci mala. & iterum: Omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci.

Sed idèo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus, &c. Assignat causam suæ conuerisonis. Vt in me primo, id est, præcipuo peccatore. Primo, nomen est non aduerbiū. Omnem patientiam, hoc est, perfectam longanimitatem. Et notanter dicit, omnem, siue totam atque perfectam, quia non partem longanimitatis ostendit in Paulo, sicut in his qui modico tempore modicum deliquerunt, sed integrum. Ad informationem, id est, ad exprimendum exemplar illius, ad exhortationem, consolationem, incitamentum & exemplum, Eorum qui credituri sunt illi in vitam eternam, id est, qui usq; ad finem seculi credituri sunt Christo ad obtinendam vitam eternam, vt videlicet unusquisque eorum audeat sperare veniam à bonitate Christi, & confugere ad eum pro saudatione. Dum enim ipse veniam dedit summo peccatori, satis ostendit se omnibus peccatoribus ad se cōfugientibus misereri paratum: sicut ille medicus qui desperatissimum curat, ostendit se omnes morbos curare posse. Non solum igitur constitutus est Paulus à Christo

vt ver-

vt verbo & scripto mysterium gratiæ longè latéq; propagaret, sed etiam vt opere Dei in se ostēo testis maximæ gratiæ esset, vnde etiam factum est vt Ecclesia p̄r reliquis sanctis conuerionem eius singulis annis celebret.

Regi autem seculorum, Quia dixerat se idèo conuersum à Deo vt posteris seculis credituri haberent exéplar pœnitentiæ & spei in Deum, idèo in laudem illius exurgit, qui in omnibus seculis ad se peccatores conuertit, & expulso diabolo super eos regnat. Pro hac gratia (inquit) mihi praestita & per me tanquam exemplar omnibus futuris seculis præstanta: fit, honor & gloria Deo qui rex est omnium securorum, Immortali, inuisibili, &c. hoc est, merito Dei regnum & misericordia in omnia secula se extendit, eo quod ipse non sit corruptibilis more regum terrenorum, qui visibiles nobis sunt, sed ipse incorruptibilis est semper idē permanens, sicuti etiam est inuisibilis, iuxta quod Apostolus dicit 2.ad Corinth. 4. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. Et sermo est de visione corporea. Soli Deo, nulli alteri (inquit) nec mihi nec cuiquam hominum pro hac re detur honor & gloria, magister enim & doctor pœnitentiæ & gratiæ honoradus non est nisi propter Deum, & sic in eo glorificatur Deus solus. In secula seculorum, id est, in perpetuum, sine fine,

E 3 Secun-

IN I. AD. TIMOTHEVM

Secundum hanc expositionem, Deo, pro tota Trinitate accipi potest, sicut accipit August. li. 2.de Trinit. cap.8. & 17. Quam expositionem in etiā habet Oecumenius. Ambros. & Chrysost. & Theophilactus referunt ad Deum Patrem. Putatque Chrysostomus etiam de filio hec accipi posse. Si igitur de vna persona intelligatur dictio, soli, non excludit personas reliquas, sed tatum res alterius naturae. Sicut cū de Christo dicitur, Nō est in alio aliquo salus, & nemo nouit Patrem nisi filius, nō excluditur Pater aut Spiritus sanctus. Illud, Soli, refert August. in libro 3. contra Maximinum cap. 9. ad illud: Sit honor & gloria, sicut & nos exposuimus. Dat eodem loco & alium sensum, quasi diceretur: Illi qui solus est Deus inuisibilis, sit honor, sunt enim & creature inuisibiles, sicut dicit Apostolus: Omnia in ipso creatā sunt visibilia et inuisibilia, sed unus est Deus tantum inuisibilis. Loco citato ex libro de Trinitate videtur intelligere, soli Deo, id est, illi qui solus est Deus. Comment. Ambrosio inscriptus in hunc locū recte refutatur ab August. lib. 2. de Trinitate cap. 18. Theophilactus legit, Soli sapienti Deo. Sed quia reliqui doctores hoc loco non legunt illud, sapienti, videtur ex fine epistole ad Rom. hoc transcriptum esse. Cyrillus lib. 12. thesauri cap. 10. legit etiam soli sapienti. Regem autem seculorum interpretatur Christum. Iuxta il-

lud Ga-

C A P V T . I.

28

Iud Gabrielis: Regnabit in domo Jacob in Luc. 2. eternum.

Hoc praeceptum commenda tibi, scilicet, Chrysostomus, et Ambrosius, et Theophilactus referunt ad sequentia, ut sit sensus: Præcipio tibi ut milites bona militia. Alij referunt ad præcedentia Hoc præceptum, scilicet de prædicando Christo Salvatore, et resistendo pseudo apostoli, Commendo, Scite dicit commendo, hoc est, trado custodiendum et seruandum tanquam depositum quoddam. Sicut enim ait Chrysostomus: Non nos eam reacquisiuimus, sed Deus hanc nobis largitus est, et fidem, et conscientiam bonā. Fili Timothee, hoc adjicit, ne fastuosè vel imperiosè videatur præcipere, sed ex paterno affectu.

Secundum præcedentes in te prophetias. Ambrosius legit, super te, siue de te. Adnotat Chrysost. electiones sacerdotū in primitiva Ecclesia solere fieri per reuelationē Spiritus sancti, sicut Act. 13. Paulus & Barnabas ad prædicandum sunt missi. Et sicut sanctus Papa Zephelinus vel Fabianus, & sanctus Nicolaus leguntur suisse electi. Sic igitur & Timotheus multis reuelationibus præcedētibus est ordinatus episcopus. Has reuelationes, prophetias vocat Paulus, quia prophetarum est dicere occulta etiam præsentia, sicut Saulem, domi latere à propheta ostensum est. Sensus est igitur: Hoc

Eusebius
Eclo Ec-
de.lib 6.
cap.21.

E 4 præcep-

Reg. 10

præceptum commendo tibi, ut ita agas secundum quod idoneum te fore Deus mihi reuelauit. Igitur potius Deus, quam ego tibi, præcipit, qui te ad episcopatum elegit, & suam Ecclesiam tibi commisit.

Vt milites in illis, scilicet prophetijs, hoc est, vt respondeas reuelationibus de te factis. Omnes quidem boni Christiani militant bonam militiam, sed non omnes militant tanquam duces & doctores, ut Timotheus militare debebat. Oecumenius putat hyperbaton hic esse, & sic ordinandum textum. Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ut milites secundum præcedentes in te prophetias, hoc est, respondeas militando reuelationibus, quæ de te factæ sunt: Milites, inquit, in illis prophetijs, hoc est, per illas prophetias, id est, per spiritum donatorem prophetarum. Alij intelligunt per prophetias, varia charismata Spiritus sancti, quæ in Timotheo erant, inter quæ fuit etiam proprij nominis prophetia, ac si Paulus diceret: Præcipio tibi ut ita milites sicut dona sancti Spiritus tibi prius concessa requirunt. Præcipio ut talenta tua bene expendas. Bonam militiam, malum est militare sub diabolo, nam stipendium eius est mors æterna, bona vero militia est duce Christo militare contra vitia & diabolum sub vexillo crucis, nam huius militie stipendium est vita æterna, & pulchre dicit,

Milites.

Milites, quia cum tota vita hominis Christiani sit bellum cum vitijs, sicut Apostolus ad R. o. 7. & ad Galath. 5. declarat, & pulcherrimè Aug. lib. 22. de ciuitate Dei cap. 23. Præcipue tamen bellant pastores & doctores, qui tanquam duces alios ad bellum incitant, antecedunt, et defendunt, ideoque maximè impetum hostium sustinèt. Et in primitiva Ecclesia hoc satis clarum erat, quando Iudei, Gentiles, et heretici nascentem Ecclesiam opprimere tentabant. Nunc proh dolor propria magis somnolentia, quæ virtute hostis deiçimus. Aptè Chrysost: Indicat (inquit) bellum excitatum esse vehementes & atrox cum ceteris, tum maximè ei qui doctoris munere fungitur: In quo nobis armis opus est validis, sobrietate scilicet, temperantia, precibus, perpetuisque vigilijs.

Habens fidem. Oportet enim magistrum primum sui esse doctorem, fidem, id est, rectam & orthodoxa dogmata. Fides enim recta fundamentum est spiritualis ædificij, & bonam conscientiam, id est, rectam conuersationem vita debet pastor & doctor in sua vita habere quam ab alijs exigit. Discant hoc loco etiam magni viri libenter moneri de necessarijs ad salutem. Timotheo enim longè impares sumus, Ipse tamen & libens audiuit, & Paulus inculcandum putauit, ut fidem & rectam conscientiam seruaret.

Quam

Quam quidam repellentes, &c. quā scilicet bonam conscientiam. Quidam repellentes, Græcē est participium præteriti temporis, vt possit sic transferre, Qua quidam repulsa. Circa fidē naufragauerūt, id est, naufragium passi sunt, hoc est, defecerunt à fide, nihil habentes ubi figurantur, ubi seipso recipiant, sed huc illucque instabiliter feruntur. Sicut qui naufragium facit omnibus nudatur, & prout est ventus iactatur & mergitur. Pulchra similitudo qua fides nauī comparatur, & bona conscientia siue spes anchorę. Sicut enim nauis in procelloso mari spē portus hominibus præberet, & dicit ad portum, ita fides ad salutem æternā: & sicut homo extra nauim in mari sine spe salutis est, ita & homo sine fide. Si in nauī quis infirmetur, adhuc spes est salutis, sed sene extra nauim nulla spes: Ita extra fidē nulla spes salutis, quantūvis videatur homo bene viuere. At fideli peccanti aliqua adhuc spes: Speratur enim reuersurus ad pœnitentiam, eò quod adhuc habeat fidem. Potens est autem dominus etiam infidelitate demersos ad nauem reportare. Sicut autē anchora nauem figit ne tempestate euertatur, ita bona conscientia fidem roborat, vt in tribulatione perseueret. Libenter autem vtitur Paulus hac similitudine, vt ad Ephes. 4. Ut iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vēto doctrinæ. Ad Hebræos 6. spē

vocat

vocat anchoram firmam: sciebat enim Ecclesiā per arcā Noë designari, et per nauiculas euāgelicas in quibus regnum Dei Christus docet, tempestates sedat, et pisces capi facit. Hic in primis discimus malam vitam multis esse causam hæreſeos et defectionis à fide, cuius rationē pulchrè assignat hoc loco Chrysost. dicēs, male viventes ne futurorum metu et expectatione cruciētur persuadere sibi omni studio curant, falsa esse omnia quæ nostra religio continet, nempe de peccatis, resurrectione, iudicio futuro, & similibus. Nicolaus Diaconus cum ad exemplum Apostolorum à propria vxore continuisset, post à proposito delapsus ac repræhēdi veritus, negabat quenquam saluari posse, nisi venerem diebus singulis exerceret. Marcion cum ob corruptā virginem acriter obiurgaretur, tria excogitauit baptismata in remissionem peccatorū. Theodotion cum bis in persecutione Christum abnegasset, docuit ipsum tantum esse hominem, ne Deum abnegasse videretur. Cuiusmodi itē viræ fuerint Montanus cum suis prophetissim ac Nouatus videre est apud Eusebium lib. 5. cap. 18. & lib. 6. cap. 33. Sed quid veteres repetimus historias, cum hodie exempli gratia doceant hæretici vota esse impia, ne cogantur de sua libidine erubescere? Et satis clare constat hæresim apud eos inualeſcere, ubi studium bonæ

Pet. 3.

Matth. 13

Matth. 8

Luc. 5.

Epiph. hæres. 25.

Idem hæres. 42.

Idem hæres. 54.

IN I. AD TIMOTHEVM

bonæ vitæ neglectui habetur. Est & alia causa cur quis malæ vitæ facile à fide deficiat, quia videlicet Deus in pœnam peccati eum excusat & sibi derelinquit, vti ait Apost. ad Thesfalo. Charitatem veritatis non receperunt vt falui fierent, Ideò mittet illis Deus operatione erroris vt credant mendacio.

Ex quibus id est, ex quorum, scilicet qui naufragarunt à fide, numero, est Hymenæus & Alexander, &c. Quos tradidi Sathanæ, id est, diabolo. De excommunicatione intelligunt istud Chrysostomus, & Oecumenius, dicuntq; in primitiua Ecclesia excommunicatos corporaliter etiam à Sathanæ fuisse vexatos. Quod miraculum Deus in primitiua Ecclesia exhibuit, vt discerent posteriora secula quam timenda essem excommunicatio, & quantum spiritui obesse. Sicut per subitam Ananiae & Saphiræ mortem ostensum est, quātum Deo displiceat violatio voti paupertatis. Et per infirmitates & mortes multorum Corinthiorum indignè communicantium declaratum est, quod iudicium sibi manducet indignè communicans. Pulchrè in hunc locum Chrysost. de excommunicato loqués: Ei jociebatur (inquit) à communione fidelium cœtu, abscondebatur à grege, fiebat nudus, atque ita destitutus lupis patebat & prodebatur incurvib;: sicut enim dudu nubes Hebræorum castra tegebat, ita & Ecclesiam

Act. 5.

x. Cor. 11

CAPVT I.

31
clesiam protegebat Spiritus sancti gratia. Si quis igitur extra Ecclesiam fieret, comburebat. Fiebat autem extra Ecclesiam Apostolus ad solis lorum iudicio. Ita & dominus Iudam tradidit Sathanæ, continuo enim post bucellam introiuit in eum Sathanas. Hæc Chrysostomus. Videtur autem excommunicatio sic tradere hominem Sathanæ secundum quandam inchoationem, sicut in die iudicij tradentur impij diabolo, de qua traditione dicitur Matt. 18. Iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet viuierum debitum suum, & cap. 22. Ligatis manibus & pedibus eius mittit eum in tenebras exteriores. Vnde obstinationem & desperationem sicut in ipsis damnatis & in Iuda, facile operatur diabolus in excommunicatis. Hinc ab August. lib. de correptione & gratia cap. 15. dicitur excommunicatio nominari in Ecclesia damnatio, & Syritius Papa in synodo de Iouiniano & socijs eius, sic dicit: Omnia nostrum una suscitata fuit sententia, vt Iouinianus, Auxentius, & ceteri, qui autores nouæ heresis & blasphemiarum inuenti sunt, diuina sententia & nostro iudicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent. Sic contra cum remittuntur homini peccata inchoatur in eo possessio vitæ æternæ, repletur consolatione sancti Spiritus, protegitur ab angelis, & eorum societate gaudet & particeps fit omnium

IN I. AD TIMOTHEVM
omnium timentium dominum. Et hæc acci-
pit per sententiam sacerdotis.

Vt discant non blasphemare, Ego tradidi istos
Sathanæ in hunc finē, vt ex inchoatione dam-
nationis suæ & pœnarum resipiscant & desin-
ant blasphemare, & maledicere Deo, hoc est,
desinant afferere falsa dogmata cōtraria Chri-
stianæ fidei, Quod excōmunicatio debeat hoc
fine infligi, vt ad pœnitentiam reuertatur ex-
communicatus & alij per eum non corrum-
pantur, patet ex hoc loco & ex capite 5. prioris
epistole ad Corinthios. Et pulchre tracta-
tur ab Aug.lib.de correptione & grat. cap.15:
discant, scilicet non docēte hoc diabolo qui do-
cet blasphemare Deum, sed interius docente
Deo per pœnas quas diabolus ex odio infert.

IN CAPVT SECUNDVM.

 *B*secro igitur, scilicet quia Christus
venit peccatores saluos facere, si-
ne quia militare debes bonā mili-
tiam. *Obsecro*, siue adhortor, Græ-
ca enim vox anceps est. Ambro-
sius legit, adhortare igitur. Genitiuus omnium,
potest referri ad primum, vt sit sensus, ante om-
nia fiant obsecrations, vel potest referri ad
(obsecrations) quasi diceret, volo fieri obse-
crations omnium siue ab omnibus scilicet
Christianis. Exigit autem Apostolus primum
oratio-

C A P V T I I.

32

orationes, quia orationes præcipuum sunt, &
studium orandi cateris est præponendum. In-
telligent autem Chrysost. & Ambros. & Au-
gust. & Prosper libro i. de vocatione omnium
gentium cap.4. De publicis precibus quas fa-
cit sacerdos. Nouerunt(ait Chrysostomus)fi-
deles quomodo diebus singulis mane & ves-
pere orationes fundantur ad dominum, quo-
modo pro omni mundo & regibus & omni-
bus qui in sublimitate sunt positi, obsecratio-
nes ab Ecclesia fiant. Discant igitur hoc loco
non deplorare suam conditionem, quibus of-
ficium psallendi in Ecclesia iniunctum est.
Constituuntur enim ad id quod tanquam pri-
mum commendat Apostolus. Videtur autem
ex doctoribus iā citatis orationes quæ in Pa-
rascheue legūntur ex hac Paulina admonitione
institutæ, solēntq; illæ vel similes in omni
olim Ecclesiæ cōcūtu celebrari. Id quod rectè
concionatores imitantur finita cōcione, oran-
tes in primis pro viuis, ac deinde pro fidelibus
defunctis, vbi cauendum, ne longo defuncto-
rum catalogo tempus extrahtatur, ne pro alijs
orare non vacet, aur populum instituere. Ob-
secrations. Græcè est deprecationes. Orationes,
Postulationes, Græcè est interpellationes. Hæc
tria(ait Theophilactus)ceu idem significantia
ab Apostolo sunt affumpta ob perspicuitatē,
quippe quia tot vocum congerie ineuitabiliter
citra

citra recusationem facere efflagiter, quod postulat & ad quod horratur. Similiter Chrysost. nō videtur hac tria hoc loco distinguere. Alij autem cobantur distinguere, sed ferè tot sunt sententiae quot doctores. Alter enim Hilarius in Psal. 140. Alter Ambros. lib. 5. de Sacramentis cap. 5. aliter cōmentarius Ambrosij in hūc locum. alter alij distinguunt. Hoc autem diligenter admonet epist. 59. August. non secundum Latinæ linguæ proprietatem horum distinctionem sumendam, & addit. Ista tria ita posuit Apostolus, ut non sit eorum distinctio negligenda. Excepto itaque nomine generali & salua loquēdi consuetudine secūdum quam siue precationem, siue orationem, siue interpellationem, vel postulationem, una eademque res intelligitur, aliqua etiam singulorum istorum proprietas inquirenda est, sed ad ea liquido peruenire difficile est, multa quippe hinc dici possent quæ improbanda nō sint: sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel penè omnis frequentat Ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud quod est in domini mensa incipiatur benedici: Orationes, cum benedicitur & sanctificatur, &c ad distribuendum comminuitur, quam toram petitionem ferè omnis Ecclesia dominica oratione concludit, ad quem intellectum etiam

etiam verbi Gręci origo nos adiuuat, plerūq; enim & vñstatius scripture votum appellat τὸν προσευχὴν. igitur ea oratio propriè intelligenda est, quam facimus ad votum. Vouēeur autem omnia quæ offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio quo sacramento prædicatur nostrum aliud votum maximum quo nos vouimus in Christo esse mansuros, vtique in compage corporis Christi, cuius rei sacramentum est quod vñus panis multi sumus. Ideo in huius sanctificatione & distributionis præparatione existimo Apostolū iussisse propriè fieri proœucas, id est, orationes siue ad votum. Interpellationes autem siue postulaciones sunt, cum populus benedicitur, tunc enim antisites velut aduocati suscepitos suos per manus impositionem misericordissimè offerunt potestati, quibus peractis & participato tanto sacramento gratiarum actio cuncta concludit quam in his verbis vñtimam commendauit Apostolus. Hæc August. Qui primo nomine intelligit quamlibet petitionem, ut, Fiat Matth. 6. volūtas tua. Nomine quod secundo loco ponitur, cum ad facilius impetrandum aliquid Deo offerimus vel vouemus, ut, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, etc. Matth. 6. Docebo iniquos vias tuas, etc. Libera me de Psal. 50. sanguinibus, Et exultabit lingua mea iustitiam, etc. Nomine tertio cum causas allega-

F. mus

mus cur exaudiri debeamus, sicuti aduocati
 Psal. 118. faciunt. Vt tuus sum ego, saluum me fac, quoniam iustificationes tuas exquisiui. Cum Act. 4.
 4. Re. 20 dicunt Apostoli: Et nunc domine respice in
 minas eorum, etc. Cum dicit Ezechias: Me-
 mento quæso quomodo ambulauerim coram
 Rom 8. te, etc. Sic Christus tanquam aduocatus, dici-
 tur interpellare pro nobis. Sic etiam gratias
 agimus de acceptis beneficijs, vt facilius acci-
 pienda impetreremus, sicut Genes. 32. orat Ia-
 cob: Domine minor sum cunctis miserationi-
 bus tuis & veritate tua quam expleuisti seruo
 Gene. 32. tuo, etc. Erue me de manu fratri mei, etc. Sic
 Psal. 50. David orat: Incerta & occulta sapientia tua
 manifestasti mihi, etc. Cum igitur Augustinus
 non dubitaret hoc præceptum tam diligenter
 ab Apostolo commendatum ab Ecclesia ob-
 seruari: videret autem nusquam nisi in Missa
 quatuor hæc orationum genera publicè emi-
 nentérque coniungi, putavit præsentem hunc
 locum ad Missam esse referendum.

*Pro omnibus hominibus, etiam gentilibus. Pro
 Regibus. Non igitur nomine omniū hominum,
 tantum fideles intellexit, neq; enim tunc Re-
 ges Deum colebant quin potius persequeban-
 tur Ecclesiam Christi, & omnibus qui in sublimi-
 tate, id est, in eminentia. Hæc, inquit August.
 causa præcipua fuit ista dicendi, vt his breui-
 ter perstrictis atque significatis non putaretur
 negli-*

negligēdum esse quod sequitur, Pro omnibus
 hominibus, pro Regibus, etc. ne quisquam si-
 cut se habet humanæ cogitationis infirmitas,
 existimaret ista non esse facienda pro his à qui-
 bus persecutionem patiebatur Ecclesia cum
 membra Christi ex omni essent hominum ge-
 nere colligenda, vnde adiungit & dicit, Hoc
 enim bonum est & acceptum, etc. Et ne quis-
 quam diceret, posse esse salutis viam in bona
 conuersatione, & vnius Dei omnipotētis cul-
 tu sine participatione corporis & sanguinis
 Christi, vnum enim Deus, inquit, vnum & me, *I. Tim. 2.*
 diator Dei & hominum, etc. vt illud quod di-
 xerat: Qui vult omnes homines saluos, etc.
 nullo alio modo intelligatur præstari, nisi per
 mediatorem, nō Deum quod semper verbum
 erat, sed hominem Christum Iesum, cum ver-
 bum caro factum est. Sed circa August. com-
 mentarium difficultas oritur, quomodo dicat
 pro gentilibus offerendum corpus Christi, cum
 lib. 1. de origine animæ cap. 9. dicat: Quis of-
 ferat corpus Christi, nisi pro his qui mébra sunt
 Christi? Chrysost. quoque cum Theophilacto
 & Oecumenio in hunc locum dicit, quod pro
 Gentili sacramentorum tempore oportet of-
 ferre: Ad hoc respondendum est quod orare
 vel offerre pro aliquo, est illum diligere. sicut
 igitur aliquis diligitur dupliciter, vel quia bo-
 nus est, vel vt bonus fiat: ita dupliciter pro ali-

IN I. AD TIMOTHEVM

quo offertur vel agédo gratias, quia iam Christianus est, & orando ut perseueret atque proficiat, vel orádo ut Christianus fiat. Pro bonis autem Christianis ita sacrificatur, ut ipsos canon dicat simul offerre. De cuiusmodi intelligitur dictum August. ad Renatum. Pro impijs autem & infidelibus offertur quidem corpus Christi ab ipsis fidelibus, sed ipsis non dicuntur offerre, vtpote non probantes sacrificium, nec eius fructum petentes.

Vt quietam & tranquillam vitam agamus. Ex consideratione utilis & commodi vult eos admonitionem suscipere: non est autem putandum quod tantum nostri causa velit nos pro regibus orare & non potius ut illi saluentur. Hoc enim ex subiectis verbis, *Qui vult omnes, etc. manifestum est,* In omni pietate, scilicet fidei, Et castitate, hoc est, honestate & morum grauitate. Graeca vox pertinet, non solum ad temperantiam à venereis, sed ad omnem morum grauitatē. Quieta & tranquilla vita sanctis contingit, cum magistratus pius est, & iustè administrat rem publicam. Pax autem & tranquillitas temporis valde eopportuna est pietati & honestati, sicut ait Ambrosius in hunc locum. *Pax uterque & capiuntas, nec pietatem feruat nec castitatem.* Vnde enim pius qui nudus est? & unde castitas vbi potestatis suæ non est? vt ergo hac fortari possint, quies necessaria est,

C A P V T . I . I .

35

ria est, vt placita Deo reddantur obsequia. Discimus experientia, belli tempore cestare conches sacras, auferri sacramenta, Ecclesiasticos ministros desiderari, laudes Dei non audiari in Ecclesijs, virgines violari, Deo dicatas prostitui, haereses libere disseminari, peruria inualescere, Deū blasphemari, infirmos Christianos à fide deficere, omnes iniquos caput erigere, rapinis atque sanguine cuncta repleri, silere leges, Deique timorem prorsus exulare.

Hoc enim bonum est, scilicet orare pro omnibus etiam infidelibus & persecutoribus res est bona, & acceptum, quia bonum est ideo acceptum, siue gratū, coram Salvatore nostro. Notanter dicit Salvatore nostro: quia cū cogitamus quā peruersos misericorditer ad se nos cōuerterit & saluauerit, iure incitamus ad orandum, ut alijs similiter subueniat. *Qui vult,* scilicet vt pote qui vult, *omnes homines saluos fieri,* salutem æternam, & ad agnationē veritatis, scilicet fidei siue qua nemo saluatur. *Venire eos qui nondum venerunt & venire nolunt.* Subindicat autē omnes homines cœcitate oppressos & in tenebris agere, antequam illustrentur à Deo, sicut ait Ioannes, Mundus eum non cognovit. Ostédit Ioan. I. per hoc (ait Chrysostomus) orbem in veritate non esse. Certum est non omnes homines saluari, sed tantum paucos: certum quoque est omne quod vult fieri omnipotens, fieri; Eget

F 3 igitur

IN I. AD TIMOTHEVM

igitur hic locus Apostoli commentario , nec simpliciter potest intelligi. Commentarius igitur Ambrosio inscriptus intelligit hic latere conditionem. Vult,inquit,Deus omnes saluos fieri, sed si accedunt ad eum, non vult ut nolentes saluentur, sed si & ipsi velint. Verū hāc solutio non satisfacit pro secunda parte : vult omnes ad agnitionem veritatis venire: igitur vult omnes credere Deo. Recte hunc sensum reiicit August.epist.107.ad Vitalē,dicens multos non saluari,nō quia ipsi,sed quia Deus non vult , quod sine villa caligine manifestatur in paruulis . Similiter libro 1.de prædestinatione sanctorum capite 8.reiicit hanc expositionem ex eo, quod gratia Dei à nullo duro corde respuatur. Ideo quippe tribuitur vt duritia cordis primitus auferatur.In Enchiridio quoque cap.97.& 103. ex eo quod Deus noluit facere miracula in Tyro,ybi tamen erant credituri si miracula fecisset. Augustinus igitur hoc sensu intelligit, tanquā diceretur, Nullus hominum sit saluus,nisi quem saluum fieri Deus misericorditer voluerit, Non quod nullus sit hominum,nisi quē saluum fieri velit, sed quod nullus saluus sit nisi qui velit, & ideo sit rogādus vt velit, quia necesse est fieri si voluerit . De orando quippe Deo agit Apostolus, vt hoc diceret. Sic enim intelligimus id quod in Euan gelio scriptum est: Qui illuminat omnem hominem

Math.11
Expositio
no 1. Au
gustini.

Ioan.1.

C A P V T I I .

36

minem veniessem in hunc mundum,nō quia nullus est hominum qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur . Similiter & Prosper epistola ad Rufinum,& respōsione 8.ad capitula Gallorum exponit. Interpretatur August. & aliter in Enchiridio cap.103. Ut per omnes homines intelligatur omnis generis homines, sicut dicit Euangeliū: Decimatis omne oīus , id est , omnis generis oīus. Sed contra hāc expositionem obijcitur infantes in vtero morientes absque baptismo sunt unum genus hominum , & tamen ex eis nullus saluatur . Hāc obiectio ex imperitia locutionis oritur:nā quando fit vt scholæ loquuntur , distributio pro generibus singulorū semper commode intelligēdum est, quod vniuersaliter dicitur, vt videlicet nunquam sumatur illud genus in subiecto quod repugnat prædicato:vt cum Paulus dicit, Cōclusit Deus omnia in incredulitate,vt omnīū misereatur . Et Saluator: Omnia trahā ad meipsum, nō oportet damnatos & in peccatis perseuerātes unū genus hominum facere. In his vero expositiōnibus vocabulum, *vult*, propriè sumitur. Extat apud August. tertius commentarius cap.15.libri de correptione & gratia.Potest,inquit,etiam sic intelligi, quod omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle. Sicut misit spiritum filii sui clamantem, Abba pater,id est, Galat.4.

F 4 clama-

clamare facientem. De qua expositione vide eundem lib. 22. de ciuit. Dei cap. 1. & 2. Volunt autem sancti de quolibet homine hic viuente ut sit saluus, nō de omnibus hominibus simul.

IV. ^{Prosperi.} Sciunt enim paucos esse electos. Est & alia expositio huius loci, vt Deus dicatur omnibus velle salutem nō propriè dicta voluntate sua, sed hactenus quia omnes fecit capaces salutis, & dedit mediatorem Christum omnibus sufficientem & potentem omnes curare, licet altiori Dei consilio quibusdam medicina mediatoris non sit adhibēda: Quemadmodum enim medicus parās medicamentum omnibus sufficiens, dicitur omnes sanare velle præparatione medicamenti, sed propriè tantum illos quibus peculiari gratia medicamentū præbet. Sic Prosper respōsione ad 1. obiectionem Vincentianam. Quod (inquit) ad magnitudinem, & potentiam precij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi & sine regenerationis sacramento pertransiunt, redemptionis alieni sunt. Cum itaque propter vnam omnium naturam & vñā omnium causam à domino nostro in veritate suscep tam rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captiuitate sunt eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus

Iona 11.

missus est foras, & iam nō vasa diaboli, sed membra sunt Christi, cuius mors non ita impēsa est humano generi, vt ad redēptionem eius etiam qui regenerandi non erant pertinent, sed ita ut quod per vnicum exemplū gesum est prōvniuersis, per singulare sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis quod confectum est de infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidē in se vt omnibus proſit, sed si non bibitur, non medetur. Hac Prosper. Vide etiam proximam responſionem. Hic sensus valde cōsonat textui Apostoli, qui dictū suum probat ex eo quod vnum est Deus omnium creator, qui hominem opus suum nō neglexit, sed pro omnibus dedit mediatorem, qui sit sufficiens precium pro peccatis omnium. In hac autem expositione voluntas Dei vocatur opus voluntatis Dei, népe ordo inferiorum causarū, quo sensu rectè dicitur quod Niniuen voluit Deus subuertere, ^{Iona 2.} cum tamen salua permanferit, in quantum videlicet merita Niniuitarū ex Dei ordinatione merebantur euersionē vrbis. Sic dicitur Deus omnes impios velle damnare cum ex eis multi sint saluandi & conuertendi. Sic cōtrā: Omnes iustos dicitur velle saluari, ex quibus multi sunt casuri à iustitia & damnandi. Sic voluit mori regē Ezechīā, quia ita ægrotabat vt naturali cursu viuere non posset, & tamen Deus ei ad-

4. Reg. 20

7.eiusdē. si adiecit 15.ātatis annos. Libro 2.de vocatione omnium gētium, qui ponitur inter opera Ambr. cap. 1.6.7.8. Hactenus interpretatur istud dictum Apostoli esse verum, quia diuina prouidentia per pulchritudinē elementorum & totius creaturę visibilis ad cultum Dei prouocat omnes homines: Quam generalem gratiam etiam paruulis donat Deus, quia si maiores legem Dei seruarent paruulorum curam gererēt. Sic igitur omnes dicitur velle saluare Deus, quia per creaturam visibilem docet & prouocat homines ad seruandam Dei legem. Sed Apostolus dictū suum probat ex mediaatore Christo, quem elementa non clamant directè, sed solum sicut lex ad Christum mittit, 6.eiusdē. dum non iustificat. Alij accipiunt verbum, vult, vt significet optare & desiderare, sicut in Ioan. 12. Euágelio dicitur: Domine volumus Iesum videte. Affectus autem sicut est ira, pœnitentia, & desideriū Deo tribuuntur impropriè propter effectum, quem similem habet cum hominibus iratis, pœnitentibus, & desiderantibus. Effectus autem istius desiderij est quod Deus dedit mediátorem potētem sanare omnes. Et quos facit pios desiderare omnium salutem. Hoc semper obseruandum est non rectè explicari sententiam Apostoli, si dicatur Deus velle omnium salutem, quia pr̄cipit bona per quæ homo perueniret ad salutē: si nihil aliud

adijcias

adijcias in explicatione, quia pr̄ceptum propriè nihil habet de reparatione hominis. Et Apostolus sentētiā suam probat ex Christo reparatore. Ioannes Damascenus lib. 2. de 7.eiusdē. orthodoxa fide cap. 29. Neque latendum est (inquit) Deum pr̄fertim pr̄cedentēq; velle omnes saluari & regnum eius consequi, non enim ad puniendos nos plasmavit, sed vt efficiat nos suā bonitatis participes vt bonus: Peccātes autem puniri vult vt iustus. Dicitur igitur prima pr̄cedēs voluntas & acceptatio ex ipso existens, secunda verò voluntas sequens, & permisso ex nostra causa existens. Et hæc duplex est. Hæc quidem dispensatoria & eruditiva ad salutem. Illa verò desperativa ad finalem punitiōnem eorum, aut quæ in nobis sunt, si bona quidem pr̄fertim antecedētēq; vult & acceptat, si mala & reuera mala neq; pr̄fertim vult, neque consequenter vult, finit tamen arbitrium ad illa liberum. Hæc Damascenus. In quibus verbis tria constituit genera rerum, quædam ex se bona & secundum se optabilia, quæ dicitur Deus prima voluntate velle, quia facit ea secundum se esse appetibilia, & si in rebus subsistant accepta sunt illi. sic vult omnes saluari & reparari. Quædā verò sunt secundum se mala, sed propter aliud appetibilia, vt sunt omnes pœnæ. Hæc Deus non vult prima voluntate, sed tantum secunda, quia non

Sap. I. non vult hominē punire nisi præcedente peccato ex ipso solo homine. Hinc Esaias cap.28. de punitione Dei loqués: Irascetur, inquit, dominus ut faciat opus suum, alienum opus eius ut operetur opus suū, peregrinū opus eius ab eo, nā Deo ex seipso propriū est misereri. Sicut igitur Deus non vult mortem peccatoris, nec lætatur in perditione viuentium, quia illa non sunt bona secundū se: ita nō vult aliquē damnari prima voluntate, sed omnes saluari, quia cuiuslibet salus est secundū se bona & appetibilis, & si fieret (ut dicit etiam Hugo de sancto Victore) Deo secundum se accepta esset. Secunda autem voluntate multos vult occidere & damnare in æternum. Quædam verò sunt mala, nec propter aliud quidē appetibilia, hæc Deus nec prima voluntate nec secunda vult.

Vnus enim Deus, Probat quod Deus vult omnes salvos fieri, quia *Vnus tātum est Deus omnium hominum creator,* népe Deus Christianorū. Et ne putetur hic Deus aliter salvare aliquem quam per Christum, subiungit: *Vnus & mediator Dei & hominum homō Christus Iesū.* Qui ipse dedit se redēptionē pro omnibus, sicut *Vnicus Deus omnes creauit.* Dicit autem *Vnicum esse Deum,* & eum omnes creasse contra multos & mortuos Gentilium deos, ostēdens scilicet verū Deum à Christianis inuocari & coli. Similiter inculcat *Vnicū esse mediatorem*

omnium

omnium redēptorem, confutans scilicet eos qui apud Ephesios magica sectabantur, & do-bát angelos esse mediatores ad Deū, nō Christū. De qualibus Apostolus in epist. ad Coloss. qui & ipsi Asiani erāt, scribit: *Nemo vos seducat volēs in humilitate, & religione angelorū.* Sunt (inquit in eum locū Chrysost.) nonnulli qui dicunt nō oportere per Christū recōciliari & ad patrē accēdere, sed per angelos, & hēc est causa cur Apostolus in epist. ad Ephes. tā diligēter inculcat accessum ad patrē per Christū. Vnde etiā in Apocal. scripta Asianis, Ioannes veluti induēs eorū personā, qui putant dæmones adorando, quia quædā nūcia perferūt suis cultoribus, veluti à Deo summo tanq̄ media-tores quidā: voluit angelū qui ei ostēdebat my Apoc.19. steria adorare, sed statim prohibitus est. Subijcitq; Ioánes Christū sequi oēs exercitus cœlo-rū & ipsum mittere angelos cui voluerit. Docuit autē hūc angelorū cultū Simō Magus, vti annotat Epiphanius: Simon, inquit, nomina quædam supponit principatum & potestatū cœlōsq; diuersos tradit, & in unoquoq; cœlo virtutes quædā exponit, & nomina barbarica his indit. Nō posse verò aliter seruari aliquem, nisi hunc mysticum ductū didicerit, & alia sacri-ficia patri vniuersorum per eos principatus ac potestates offerre. Sumpfit autem Simon hæc ex Platonicis, tradentibus dæmones esse colen-

colendos tanquam mediatores ad deū:contra quos latē August. lib.9.& 10. de ciuitate dei. Hæc igitur est causa cur vnicum mediatorem tradat Apostolus. In ipsa autem voce mediator Dei & hominum notantur Iudaizantes. Pro cuius intellectu notādum est hoc nomen mediator ab Apostolo sumptū & Christo tributum ex historia Exod.20. & 24.& Deuter.5.& 18.descripta . Cum enim populus Israël ex terribilibus illis signis diuinæ præsentia in monte Sina prorsus esset perterritus, & pauore omnino concussus , dixerunt Moysi: Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis dominus,ne forte moriamur. Tūc dixit dominus ad Moysen: Audiui vocē verborum populi huius quæ locuti sunt tibi. Bene omnia sunt locuti:quis det eos tales habere mentem, siue (vt Septuaginta legunt) quis dabit sic esse cor illorū in ipsis vt timeant me,& custodiant vniuersa mādata mea in omni tempore? quasi diceret dominus : Maiestatem meam non ferunt, te medium inter me & se cupiūt & promittunt,quod facient omnia quæ tu ex me eis annuntiaueris;bene quidem loquuntur, bona & speciosa sunt verba, sed cor non responder. Verè nullus est vel angelorum vel hominum, qui possit ita inter me & homines mediare, vt det eis tales mentē qua faciant mādata mea. Tum adiecit dominus atque promisit tales media-

mediatorem; Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum,similem tui,& ponā verba mea in ore eius, loquetūrque ad eos omnia quæ præcepero illi, hoc est, sic eis loquetur vt timeant me & obseruent præcepta mea. Hic manifesta est promissio quod Christus sit futurus mediator inter Deū & homines , qui ex reluctantibus faciat Deo subiectos & obediētes,& ex irato propitium Deum similiq̄e dic̄tur, Quod nullus hominum vel angelorum hoc possit. De Christo enim istud dictū , Prophetam suscitabo,etc. intelligi non solum patet ex Actis Apostolorum , sed etiā ex ultimo cap. Deuterono. vbi dicitur,non surrexisse ultra propheta in Israël sicut Moyses,donec scilicet propheta prophetarum veniret. Nouum quoque testamentum in monte Sina occulte promissum fuisse , & proinde noui testamenti mediatorem pater Levit. 26. Cum essent (inquit) Israēlitæ in terra hostili non penitus abiici eos neque sic despexi vt cōsumerentur & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim sum dominus deus eorum , & recordabor fœderis mei pristini, quando eduxi eos de terra Ægypti in conspectu gentium, vt essem deus eorum. Sic Propheta Aggæus cap.2. Verbum quod pepigi vobiscū cum egrederemini de terra Ægypti , & spiritus meus erit in medio vestrum. Hæc sanè de veteri testamento intel-

Deut.18.
Act.7.

IN I. AD TIMOTHEVM

intelligi nequeunt, hoc enim irritum faciunt homines & iram operatur. Porro ea quæ didicerat à domino Moyses in monte Syna cæremonia explicuit, dum populo dicente: Cuncta quæ locutus est dominus, faciemus. Sumptum sanguinem vituli, respersit in populum, dices: Hic est sanguis foederis quod pepigit dominus vobiscum super cunctis sermonibus his, qua cæremonia ad literā significabat promissionē eorum, qua dixerant: Omnia quæ locutus est dominus faciemus, irritam fore: nam sanguis vituli auferre non potest cor lapideum, vt statim patuit, cum Moysē existēte in monte obliiti promissi sui sanguine vitulino confirmati, per vitulum peccauerunt contra primū mandatum, sacerdote eorum (qui cæremoniarū est typus) potius cooperante ex ipsorum malitia, quam impediente: & Moysē qui legem designat quem mediatorem postulauerant, acriter vindicante hoc peccatum, Leuitis qui legi doctores erant adiuvantibus. Propheticè autē sanguine vituli designabatur sanguis Christi, qui confirmat & implet novum testamētum. Vide de hac re Cyrillum libro primo dialogorum de Trinitate, vbi & aliam figuram mediatoris adducit, nempe Aaron orantem pro populo intereunte, Num. 16. Et hoc satis consonat capiti 9. epistolæ ad Hebreos, vbi Christus dicitur noui testamenti mediator in redēptionem præ-

Exod. 19
& 24.

Exo 24.

Exod. 19
& 24.

Exod. 32.

C A P V T I I .

41

nem præuaricationum, id est, peccatorum, vt Aaron fuerit figura Christi remittentis peccata commissa, per mediationem suam: Moyses autem figura Christi prout mediari ad hoc vt legem nos impleamus, sicut in epistola ad Galathas dicitur, Lex ordinata per angelos in po testate mediatoris, hoc est, dara est per angelos, vt auxilio mediatoris impleatur, non auxilio angelorū. Hoc igitur loco, Mediator Christus dicitur inter Deum & homines, quia homines Deo reconciliat placando eum super peccatis commissis, & promerēdo hominibus spiritum quod Dēo deinceps obedient. Reprahendit ergo eos qui propria peccata & infirmitatem non agnoscentes, audent Deum accedere sine vilo mediatore, confisi cæremonijs quibusdam quas exterius obseruāt, putantes per eas Deum placari: Rursus legis scientia fisi, putantes se posse viribus proprijs eā seruare. Ex dictis iam manifestum est sanctos angelos atque homines pro alijs orantes non esse mediatores, quomodo scriptura loquitur, quia neque satisfaciunt pro peccatis hominū siue nō placent Deum per seipso, neq; promerentur nobis spiritum obedientia: Imò & vt impropria locutione dicātur mediatores, quia orant pro nobis, non tamen dicendi sunt mediatores dei & hominum, sed potius si sic loquendum est mediatores ad mediatorem: quicquid enim

G petit

petit sanctus angelus vel homo à Deo, per mediato rem Christum petit, non autem ipse per se metipsum immediate accedit Deum, sicut Christus. Vnde Bernardus sermone ultimo de assumptione B. Mariae : Opus est (inquit) mediatore ad mediatorē Christum, nec alter nobis vtilior quam Maria. Deinde nemo est præter Christum qui pro omnibus Deo conciliandis mediat, quia nemo pro se mediator est, nemo igitur præter Christum est mediator Dei & hominum, omnium scilicet. Ex his duabus rationibus posterioribus quod mediatoris ad Deum sit immediatè accedere eum. Item pro omnibus intercedere, docet Augustin. solum Christum esse mediatorem lib. 2. cōtra epistolam Parmentiani capite 8. Pro quo, inquit, nullus interpellat, sed ipse pro omnibus. Hic vñus verisque mediator est. & infrā: Oratio pro iuicem membrorum omnium adhuc in terra laborantium ascendat ad caput quod præcessit in cœlum, in quo est propitiatio pro peccatis nostris; nā si esset mediator Paulus, essent vtiq; & cæteri coapostoli eius, ac sic multi mediatores essent, nec ipsi Paulo constaret ratio, qua dixerat vñus mediator Dei & hominum. Si autem nomine mediatoris tantum intelligas intercessorem qualecumque, manifestum est plurimos esse mediatores, & sic loquitur Bernardus sermone citato. Item Cyrillus lib. 12.

thesauri

thesauri cap. 10. Iam videndū est secundum vtrām naturam, diuinam ne an humanam, an potius secūdum vtramq; simul dicatur Christus mediator. Et ipse Apostolus dicens : Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus satis ostendit quod secundum humanam naturam sit mediator. Pro cuius intelligētia tendendum est in voce mediatoris duo cōtineri, primum officium mediationis, hoc est, reconciliare discordes. Iusti autem mediatoris est ita conciliare discordes, vt iustam causam fouens à iure suo non decidat. Iniqua autem, ad iustitiam reducatur. Secundo inuoluitur in voce mediatoris quod vtrique discordantiū sit propinquus similis, & aliquo modo amicus, & ab vtroque aliquantulum distet. Si enim omnino vnum sit cum altero, tenet se tantum ex parte illius. nec mediat. Si omnino ab vtroque distet non poterit coniungere. Primum igitur competit Christo tantum secundum humanā naturam, nam secundum eam solam satisfacit diuinæ iustitiae, meretur & impetrat nobis iustitiam. Secundum diuinam autem ipse est pars placanda, vt Pater & Spiritus sanctus. Quanq; passio humanæ naturæ non placaret Deū nisi in persona diuina esset & exinde valorem haberet. Sicut dicit August. in Enchir. ca. 108. & Cyrilus lib. de fide ad reginas tractans hunc locum. Secundum verò, nempe medium esse,

G 2 partim

partim similem, partim distantem ab utroque, competit etiam Christo secundum humanam naturam; Deo enim similis est Christus per iustitiam per quam distat ab hominibus, nobis est similis per misericordiam, per quam distat a Deo. Hæc similitudo, atque distantia valde cōgruit, quia per misericordiam quam ipse iustus sustinuit, Dei iustitiae bonam causam fountis satisfecit. Et homines iniquam causam fuentes, ut potest nolentes Deo subdi, ad iustitiam reduxit. Sic August. explicat mediætatem istam in prefatione super Psal. 29. Exaltabo te domine, quoniam, etc. Lib. 10. Confes. cap. 42. & 43. &c. lib. 1. de consensu Euangelistarum cap. 25. Sic & Fulgentius. lib. de incarnatione cap. 13. Augustinus iterum lib. 9. de ciuitate Dei cap. 17. sed cap. 15. adiicit aliquid predictæ mediætati, nepe quod Christus prius fuit mortalis & miser ad tempus, postea in æternum beatus. Primum nobiscum habet, secundum cum Deo; primum congruit morituris. Secundū in æternum victuris: & utroq; nos recociliauit, quia mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Si hanc explicationem coniungamus cum priori, inuenierit perfectior mediætatio, nam nobiscum habet Christus unum ad tempus, nempe misericordiam, cum Deo duo, iustitiam quidem semper, beatitudinem autem æternam post misericordiam.

Rom. 4:

riam. Sed obijcas: Si miseria temporalis tantum attendatur in Christo, ut secundum eam dicatur nobis similis, videbitur nunc non esse medius inter Deum & homines, ut potest per iustitiam & beatitudinem distans a nobis in iustis & misericordiis, cum tamen Apostolus dicat etiam nunc eum esse mediætorem, sicut latius apud Hebreos 9. pater. Respondendum est, quod quanquam ipse non mediæt, nunc interpellando pro nobis, nisi allegando passionem præteritam, attamen etiam nunc medius est inter Deum & homines, nec tantum se tenet ex parte alterius, nempe Dei. August. igitur lib. 2. de peccato originali cōtra Celestium cap. 28. attendit in Christo, quod nobis nunc sit similis in natura humana, Deo autem in iustitia. Apostolus, inquit, non ait, unus mediætor Dei & hominum Christus Jesus, sed homo Christus Jesus. Per hoc ergo mediætor per quod homo inferior patre per quod nobis propinquior, superior nobis per quod patri propinquior, quod apertius ita dicitur: Inferior patre, quia in forma serui, superior nobis, quia sine labe peccati. Hanc mediationem attendit & Thomas in 3. parte summa, quest. 26. artic. 2. Sed rursus obijcas: Si in Christi persona attendatur natura humana, ut secundum eam nobis nunc sit similis, cur non attenditur etiam diuina, ut secundum eam patri dicatur similis, &

G 3 sic me-

IN L. AD TIMOTHEVM

sic medium inter Deum patrem & homines. quia duas habet naturas; videatur enim natura cum natura comparanda, & qualitas cum qualitate, non natura cum qualitate. Respondendum est Christum secundum humanam naturam & diuinam simul non esse medium inter Trinitatem & homines, ut pote qui a se ipso secundum utramque naturam non differt; ipsum tamen recte dici medium inter Patrem, sive Spiritum sanctum & homines, in quantum duas naturas coniunctas habet, humanam per quam conuenit cum hominibus, & distat a Patre & Spiritu sancto, & diuinam secundum quam distat ab hominibus, & unum est cum Patre & Spiritu sancto, et si mediatoris officium ipse non exerceat, nisi in humana natura, & secundum eius qualitates. Vide Bonaventuram in 19. distin&t. 3. Imò hæc mediatio secundum conuenientiam & distantiam naturarum perfectior est, quam ea quæ ex qualitatibus consideratur, sicut natura præstantior est qualitatè, licet qualitas sit officio & actioni mediationis vicinior, quia igitur veteres in voce mediatoris perfectissimam mediétatem intellexerunt, ideo putant hac voce designari etiam coniunctionem utriusque naturæ diuinæ & humanæ. Sicut cum Christus vocatur Emanuel & primogenitus in multis fratribus, nomine Emanuelis & primogeniti utriusque Christi natura signatur. Sic Aug. 9. de ciuit.

Esa. 7.
Matth. 1
Rom. 8.

C A P V T . I I .

44

ciuit. Dei, cap. citato. Quærendus est, inquit, medium qui non solum homo sit, sed & Deus. Et libello de ouibus cap. 12. Mediator Dei & hominum, quia Deus cum Patre; quia homo cum hominibus, non mediator homo præter deitatem, non mediator Deus præter humanitatem, ecce mediator, diuinitas sine humanitate non est mediatrix, humanitas sine diuinitate non est mediatrix, sed inter diuinitatem solam (id est, Patrem & Spiritum sanctum) & humanitatem solā (id est, omnes homines præter Christum) mediatrix est humana diuinitas & diuina humanitas Christi. Et lib. contra Felicianum Arrianum cap. 10. Non est una substantia mediatoris, ne mediatoris dispensatione submota, aut Dei ratum dicatur, aut hominis filius. Sic Hilarius 9. de Trinit. de Christo loquitur, dicens: Illo ipso inter Deum & homines mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitate in id ipsum naturis naturæ utriusque res eadem est. Sic commentator Ambrosio inscriptus, Christo, inquit, ut Deum iustum & homines impios reconciliaret, in se primum naturam utramque coniunxit. Leo quoque epistola 83. & epistola 11. ad Iulianum, Non esset (inquit) Dei hominumque mediator, nisi idem Deus idemque homo in utroque & unus esset & verus. Idem dicit Chrysostomus in hunc locum cum Theophilaeto & Oecumenio.

G 4 nio.

nio. Epiphanius quoq; in lib. Anchoratus valde expressè. Et Cyrillus lib. 1. dialogorum de Trinitate cum Hermia, postquam officium Christi, quo nos Deo reconciliat secundū humanam naturām figuris Moysi & Aaron explicuit, sic subiicit: Porrò est & alias arcanus & mysticus sermo, ad nomen & rem mediationis accommodatus. Et infra: Nomen primogenitus cū Christo proprium non sit, factum est proprium eius cū carne, Mediator igitur & hac ratione intelligitur, quia ostendit in seipso collatas ac vñitas diuinitatem ac humanitatem, etc. Similia habet lib. 12. thesauri cap. 10. atque hinc ostendit quod Christus solus sit mediator Dei & hominum, quia solus Deus & homo est. Prophetas autem & Apostolos dicit etiam fuisse mediatores quādo pro alijs orabant. Deniq; Fulgentius in lib. de fide ad Petrum ca. 2. Omnes mediationis rationes quas iam explicuimus Christum habere coniungit, dicens: Idcirco mediator, quia idē Deus atque homo verus, habens cum patre vnam diuinitatis substantiam & humanitatis vnam cū matre substantiam, habens ex nobis vsq; ad mortem iniquitatis nostrā pœnam, habens incommutabilem de Deo Patre iustitiā, propter iniquitatem nostrā temporaliter mortuus, propter iustitiam suam, & ipse viuus semper, & immortalitatem mortalibus largitus, qui perfe-

perfectam quidem humanitatem suam in ipsa diuinitatis suę perfectione seruauit, veritatem verò mortalitatis nostræ per susceptionē mortis, veritate atque incommutabilitate suę immortalitatis absorbut. Hæc Fulgentius.

Qui dedit semetipsum, quia cum posset passionem à se repellere vltro se persequentibus obtulit. Hoc (aiunt Theophi. & Oecumenius) contra Arianos, qui dicunt in uitum nolentemq; traditum fuisse. *Redemptionem.* Redemptio premium est quo redimuntur captivi ab hostibus in bello vel piratis, quod vulgus vocat Ranchonam. Significat autē Græca vox non simplex premium, sed commutationem, qua caput capite, vita redimitur vita. Sic Christus dedit semetipsum premium, quia suam vitā pro nostra tradidit, ipse mortuus est ne nos moreremur. *Pro omnibus,* etiam gentilibus; quod quomodo intelligatur supra diximus ex Prospero circa locū illū, Qui vult omnes homines, etc. in quarta expositione loci illius, nimirū sufficienter non efficaciter.

Cuius rei testimonium temporibus suis confirmatum est. Græcè tantum est, Testimonium temporibus suis, omissis illis. Cuius rei, & confirmatum est. Nec Haymo plus legit: & Cloſa ordinaria admonet quosdā codices istis carere. Videntur adiecta ab aliquo explicandi causa. *Comment.* Ambrosio inscriptus satis confo-

consonat textui nostro, vt sit sensus: Redemptionis pro omnibus soluta satis apertum documentum datum est in Christi resurrectione, ascensione, Apostolorum prædicatione atq; miraculis. Chrysost. & Theophylactus videntur intelligere, tanquam dicatur, Christum dedisse se testimonium veracitatis Dei in promissis, & hoc dum pateretur pro nobis, vti & dicit Pilato, ad hoc veni in mundum vt testimonium perhibeam veritati. Oecumenius citans Clemétem Alexandrinum, sic intelligit. Dedit semetipsum redemptionem per martyrium siue testimonium, hoc est, per passionem quam subiit propterea, quia veritati testimonium perhibuit, dicens se esse filium Dei Salvatorem mundi à Deo missum, sicut promiserat. Ita vt significet Paulus ipsam passionem fuisse pretium, siue Christum in passione qua pro veritate mortuus est. Nomen martyrum siue testimonium in scripturis & apud veteres scholastica vox est, designans illud testimonium veritatis quo nullum est excellentius, nempe quo quis se tradit morti pro veritate, vt Matth. 10. & Luc. 21. Ad reges & Præsides ducemini propter me in testinoniu, etc. Hinc & hodie pro vera doctrina occisos, testes siue martyres appellamus. Tēporibus suis, id est, congruis, & à prophetis prædictis & à Deo præfixis. In quo, id est, ad quod testimonium scilicet &

cet & pretium dilatandum & vulgandum, Ego positus sum prædicator, hoc est, preco siue nūcius. Et apostolus. Theophilactus, Nec simpliciter preco vt vni loco tantum prædicem, verum etiam Apostolus vt quoque circumueam. (Veritatem dico non mentior,) Græcè est, veritatem dico in Christo, id est, per Christum, vt sit iuramentum. Iurat autem cōmendā suam authoritatem propter pseudoapostolos, qui vbiique eum deprimebant, & quia aliquid valde mirabile dicturus erat, népe quod ad gentes idololatras esset missus. Doctor, quia continet obiter & in transcurſu aliquem prædicare; non solum, ait, prædico; sed & perseueranter doceo. Gentium. His enim peculiariter missus est Paulus, dum in Iudea propter promissiones patribus factas alij Apostoli occuparētur, missio autem Apostolo gentibus, ostēdit Deus quod & gentes multum diligat, ideoq; debent Christiani eum imitantes pro gentibus orare. In fide & veritate. Doceo (inquit) non humana inuenta, sed ea quæ pertinent ad fidem & veritatem euangelij, doceo fidem non captiosas argumētationes. Et ne quis suspicetur subesse fallaciam cum christiana religio exigat fidem, adiecit, In veritate. Nihil (inquit) in doctrina Christiana mēdacijs est, nihil falsitatis. Pulchrè autem fidem præponit veritati, quia cognitio veritatis merces est fidei, sicut ait Propheta:

Nisi

- Nisi credideritis, non intelligetis. Et Christus:
 Ioan. 8. Si manseritis in sermonē meo, verē discipuli
 mei eritis, & cognoscetis veritātē. Imō etiam
 in secularibus disciplinis fides præcedit scien-
 tiā. Nam, vt ait Aristoteles, addiscēntē opor-
 Aug li. i. ter credere, & Plato in Tymēo. Quantum (in-
 de cōsen-
 quīt) ad id quod ortum est, ēternitas valet, tan-
 su euāge-
 tum ad fidē veritas, duo illa sursum sunt, ēter-
 nitas & veritas, duo ista deorsum, quōd ortum
 est, & fides. vt ergo ab imis ad summa reuo-
 emur, atque id quod ortum est recipiat ēterni-
 tem, per fidem veniendum est ad veritatem.
 Purgatur homo per rerum tēporalium fidem,
 vt ēternorum recipiat veritatem.

Volo igitur viros. Quę de sua autoritate dixit, quasi per parenthesim interiecit, propter pseu-
 doapostolos, nunc pergit in eo quod cōperat, nempe in doctrina orationis. *Volo igitur,* siue
 mando, vt viri orent quolibet loco; Hoc no-
 tādum Paulum requirere à laicis Christianis,
 vt in agro, in sylvis, in domo, in officina, in iti-
 nere, in nauī, & quouis loco orēt. Imō & mu-
 lleribus hoc præscribit. Nunc clericī quidam
 admodum pij sibi vidētur si præscriptas tātum
 preces recitent. Græci & Pelagij commenta-
 riū putant Paulum istud dixisse ad confutandū
 Iudaicā obseruationis dementiam, qui
 in vno loco tantum, nempe Hierosolymis pu-
 tabant Deum orāndū. Sicut olim tantum illic
 licuit

licuit sacrificia offerre. Christianis sicut prō
 omnibus orare præceptum est, ita omnis locus
 orationi aptus est. In hoc commentario exa-
 minandum est, vnde constet Iudeos reputaſ- Ioan. 4.
 se non licere orare Deum nisi Hierosolymis,
 cum apertè lex iubeat, vt Iudei in terra capti-
 uitatis suę Deū inuocent: nisi fortè commen-
 tarius iste de publica & solemnī cum cēremo-
 nijs & sacrificijs oratione loquatur. Ambrosij
 commentarius putat Apostolum istud admo-
 nere, ne putarent Christiani in sola Ecclesia
 orāndū, in qua (sicut dicit hoc loco Chry-
 sostomus) fideles maximē orationis causa cō-
 ueniunt, quām homelia 36, in epistolam prio-
 rem ad Corinth. locum dicit esse angelorum
 & archangelorum, regiam cœli & cœlum ip-
 sum. Quod probat ex præsentia corporis do-
 mini in Eucharistia. Vide que diximus in pro-
 cēmio Dominicæ orationis de loco orationis.

Leuantes puras manus. Leuare manus habitus
 est petentis & speratīs adiutoriū ex alto. Sicuti
 submergendi extendunt manus, tanquam pe-
 tentes auxilium, atq; tali habitu orabat Moy-
 ses & impetrabat, quem si paululum intermi- Exod. 17,
 fissit, subtrahebat & diuinū auxilium. Vide,
 que diximus in Procēmio Dominicæ oratio-
 nis de habitu corporis inter orāndū. *Puras,* id
 est mundas. non quidem aqua lotas, sed mun-
 das à cēdibus, verberibus, rapina, cupiditate, li-
 bidine,

In Psal-
lum 61.
bidine,atq; ad eleemosynam porrectas . Quia
manus,inquit Aug. leuat, ut impetres quod
vis , ipsas manus cogita in operibus bonis ex-
ercere ne erubescant leuari à Deo . Absque ira,
id est,absque prophana iniuriarum memoria.
Marc.10. Sicut dicit Christus. Cum stabitis ad orádum,
dimitte si quid habetis aduersus aliquem. Et
disceptatione,id est, hæsitatione, dubitatione &
ambiguitate. Nō licet(inquit Chrysost.) pror-
sus ambigere, si puras ad Deum leuemus pre-
Matth.21. ces nos exauditum iri. Quæcunque enim(in-
quit Christus) petieritis , credentes accipietis.
Similiter Theophilact. atqne Oecumenius nō
licere scilicet ita cogitare ; Putásne temerè &
vanè precor ? persuasum enim esse oportet
quod exaudiens Deus si nos puri petamus quæ
illi amica sunt. Non ergo sic orádus est Deus,
sicut oratur rex terrenus,de quo cogitatur ab
oráte,nescio an hic me exaudiens, etiam si om-
nes partes meas optimè compleuero , sed va-
leat oratio mea quantū potest. Ambrosius per
de Sacra. disceptationem intelligit cogitationem ad alia
cap.5. diuagātem. Nunc,inquit,de disceptatione vi-
deamus . Plerunque negotiator vénit ad ora-
tionem,aut auarus de pecunia cogitat,alter de
lucro , alter de honore , alter de cupiditate, &
putat quod eum Deus possit audire : & ideo
quando oras diuina humanis præferre te con-
uenit. Haymo illud , Sine ira & disceptatione,
inter-

interpretatur sine discordia , vt ira ad læsum,
disceptatio ad lædentem pertineat.

Similiter & mulieres , scilicet volo orare in
omni loco leuantes puras manus sine ira &
disceptatione; Ac deinde explicans quomodo
mulieres habeant puras manus,& in quo con-
sistat earum ornatus , subdit : In habitu ornato,
καταγολή Græca vox nō simpliciter habitum
significat,sed habitum longiorem vndique te-
gentē , sicut adnotat Theophilactus & Oecu-
menius. Illud quoque(ornato)rectius vertifset
interpres modesto siue humili, sicut commen-
tarius Ambrosij interpretatur . Græca enim
vox anceps est,& ornatum & modestum sig-
nificans , nec iubet Apostolus vt mulieres se
comant,cum satis supérque id agat, sed vt ha-
bitu modesto vndique tectæ sint in quotidiana
conuersatione , Cum verecundia & sobrietate
ornantes se. Verecundia enim & sobrietas pul-
cherrimus est coram Deo ornatus. Non in tortis
crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa,
hoc est, torti crines , aurum & margaritæ et
sumptuosa vestis non ornant coram Deo . In
tortis crinibus , intelligitur omnis ornatus ex
curiositate artis petitus , qualis est in forma
vestium,calceorum, et similiūm, etiā si ex vili
materia fiant. In auro intelligitur ornatus su-
perflius et pretiosus,sicut et in reliquis . Fuci
autem et adulterini ornatus tanquam longè
peioris

peioris non meminit Apostolus. Sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. Mulieres promittentes, accusatiui sunt recti à verbo decet; significat autem dictio, promittentes, profitentes, siue præ se ferentes, vt sit sensus: utrancur tali habitu qualis decet illas, quæ profitentur & præ se ferunt. *Pietatem*, hoc est, Dei cultum (Græcè enim theosebian.) *Per opera bona.* Theophilact. & Oecumenius iungunt hoc, cum dictione, profitentes, quasi dicat: Illas mulieres quæ profitentur non verbis tantum se colere Deū, sed & rebus ipsis. Theophilact. etiam & aliam dat explicationem, vt illud, per opera bona, cum dictione, ornantes iungatur, vt sit sensus: non ornent se veste pretiosa; sed ornent se operibus bonis, quod eas decet quæ se Christianas esse profitentur.

Mulier in silentio. Mandat vt mulieres taciturnæ sint atque subiectæ, & in ordine discétiūm se habeant, quia & loquaces sunt, & superiores esse volūt atque alias docere. *Docere autem mulieri nō permitto*, scilicet in Ecclesia, sicut 1.ad Corinth.4. dicit Apostolus: Mulieres in Ecclesijs taceant. Item, Mulieri docere non permitto, scilicet virum. Vnde subdit: *Neque dominari in virum*, sine authoritate viri in virū. Vbi recte annotant Græci, docere esse authoritatem exercere. Potest rāmen viri virū blandè commonefacere, sicut inferior quilibet sup-

riorem;

riorem: vt & Apostolus dicit, quod virorū fide- 1. Cor.7. lis saluum facit virum infidelem. Sic Priscilla exactius instituit Apollo. *Sed esse in silentio.* Præcipio, inquit, vt silent, nec spiritalia doceat, sed vir cōtra debet docere & authoritatem exercere in mulierem. Sicut enim ait August. Maritum habere dominum, meruit mulieris, non natura, sed culpa, quod tamē nisi seruetur, de-prauabitur amplius natura, & augebitur culpa. Hoc autem vitium quo in primitiua Ecclesia mulieres docere volebant, oriebatur ex eo quod mulieres etiam tunc temporis varia haberent Spiritus sancti charismata, tum ex indiscreto, quem habebant fidei calore, vt facile liquet ex 1. Corint. cap. 14. Hæreses autem ab antiquo opera mulierum multum creuisse, docet Hiero. per aliquot exempla, epistola ad Cthesiphontem contra Pelagium. Ex hoc autem loco clarissimè refutatur stolida illa persuasio, qua putantur omnes habentes Spiritum sanctum posse docere ea quæ sunt fidei; cum ordo discentium, docentiūmque partim à natura constitutus sit (sicut hoc loco docet Paulus) partim à Christo atque Ecclesia. Pulchrè sanctus Basilius lib. 7. historiæ Tripartitæ cap. 36. Demostheni cuidam Valentis Cæsaris coquo sibi minanti respondit: Tuum est de pulmentarijs cogitare, non dogmata diuina de-coquere:

Theodo-
rit.lib.4
cap.19.

IN I. AD TIMOTHEVM

Adam enim primus formatus est; &c. Probat ex scripturis duabus rationibus quod vir autoritatem habeat id fœminam, non contra; Tum quia vir prior est creatione, tum quia mentis vigore antecellit. Quærit hic Chrysostomus: Quid ad cæteras, inquiens, mulieres pertinet, quod Eua hoc passa sit? Ac respondeat: Plurimū sanè, est enim Iesus ille infirmus ad quæuis, quod iam in consequentibus differēs, dum de sexu generaliter loquitur, ostendit: Non enim dixit, Eua seducta est, sed mulier, quod commune est nomen sexus. Sic & Theophilactus in hunc locum dicit. Perinde atque in Adā omnis natura moriebatur, sic per Euam in omnes leuitas peruersit, per quam sanè leuitatem ipsa transgressio locum in ea primum habuit. Locus hic magnam habet difficultatem, quæ paucis explicari non potest: quare p̄stiterit ante absoluere quæ in hoc capite supersunt. Sequitur ergo.

Saluabitur autem, scilicet mulier siue sexus fœmineus, Per filiorū generationem: Non tantum hic generatio aut procreatio liberorum intelligitur, sed magis educatio & institutio: est igitur sensus Pauli. Quamvis non sit idonea mulier ad docendum, habet tamen quod agat, per quod & saluatur. Conuenit enim ei tractatio liberorum, non librorū, Si multum ardet desiderio docendi, habet quos salubriter doceat, nempe

C A P V T I I.

59

nempe liberos proprios, *Si permaneant, pluraliter legunt Græci.* Hieronymus quoque contra Iouinianum, & Pelagius in commentario. Referunt autem Græci ad filios, Pelagius ad mulieres, vt sit Enallege numeri: qui nouo etiam atque absurdō modo per generationem filiorum, baptismum intelligit: Sed nobis placet Græcorum expositio. *In fine, scilicet Christi, Et dilectione & sanctificazione,* id est, puritate vita & castis moribus. *Cum sobrietate.* Hieronymus mauult legere castitate. Theophilactus, generaliter honestatem interpretari videtur. Quærat hic fortasse quispiam, quid de virginibus ac infœcundis, quæ prolem nullam quam educarent, habuerunt, futurum sit: rursus quid de his, quæ cum ipsæ sint impiæ, filios tamen habent pios ac recte educatos; an videlicet merito huius institutio-
nis saluari queant. Deniq; num quam salutis spem habeant, quæ tametsi piæ ac religiosæ, filios habent impios ac irreligiosos, ac materno-
rum monitorum contéptores. Ad primam
quæstiōnem dicendum: Paulum nō excludere
hoc loco virginés à salute, sed id tantum velle;
vt si qua non amplectatur virginalem conti-
nentiam, sed ita se occupet liberis generan-
dis & instituendis, vt ei alios docere nō vacer;
nihilominus tamen saluari tamen eam posse;
si liberos suos ita à prima ætate instituat, vt &

H 2 Chri

Christo regenerentur, & in eadem regenerationis gratia permaneāt, saluari inquam posse non aliter atque doctor quispiam, spirituales filios Christo progenerās. Non igitur Apostolus spēm salutis virginibus adimit, sed quia in genere de sexu foemineo loquebatur, agit de eo, quod toti ferè sexui conuenit. Ad secūdam quæstionem dicendum Apostolum nō dicere quòd impiæ quæ rectè educant proles (quāquam id fieri vix possit) saluabuntur, sed officium mulierum ponit, quod ad salutē eas ducit si aliud impedimentum non fuerit. Nec eas damnat quarum filij piam institutionem contemnūt: sed ostendit quid officij matribus incumbat, quod si sedulò præstent, saluabuntur simul cum obedientibus filijs: sin autem rectè monentibus parere illi recusauerint, nihil minus pro benē præstito officio, solæ saluabuntur.

Sed iam locum illum, *Adam non est seductus*. Cuius interpretationem ob eius difficultatem huc vsque distulimus, aggrediamur. Primi igitur parentes postquam superbierūt cæci facti sunt atque infideles, verba Dei falsa reputātes, siue Deo non credentes, sed diabolo, id quod ait Moyses dominum eis improverasse, cum indueret Adam & vxorem eius tunicas pelli-
Genes. 3. ceas. Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis sciens bonum & malū, ubi ironicè loquens Deus,

Deus, significat (vt ait Prosper) quid Adā non Contra fuerit asscutus, quod tamē appetebat. Et Ambros. lib. de Helia & iejunio ca. 4. Et dixit, inquit, Deus. Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis. Irridens vtique Deus, non approbās dicit, hoc est, Putabas te similem fore nostri; quia voluisti esse quod non eras, desististi esse quod eras. Idem quoque Ambrosius in illud Luc. 10. Qui etiam despoliauerunt eum, etc. Cate (inquit) ne antè nuderis, sicut Adā antè nudatus est, Mandati cœlestis custodia destitutus & exutus fidei vestimento, & sic lathale vulnus accepit. Quam eius sententiam etiam citat August. lib. 1. contra Iulianum cap. 3. Denique idem Ambrosius, Mulieris, inquit, prior Li. de pa- error inuentus est: viro enim mulier, non mu- radis. c. 21 lieri vir author erroris est, vnde & Paulus ait: Adam nō est deceptus, mulier autem decepta in prævaricationem fuit. Sic Ignatius epistola ad Trallianos: Diabolus, inquit, per mulierem seduxit Adam patrem generis nostri. Irenæus quoq; lib. 3. cap. 35. ostendit quod Adam verè seductus fuit, sed statim ad fidem redierit, & poenitentiam egerit. Ab altero, inquit, Adam seductus sub occasione immortalitatis statim timore corripitur & absconditur, non quasi possit effugere Deum, sed confusus, quoniam transgressus præceptum eius indignus est ve- nire in conspectum & colloquium Dei, timor H 3 autem

IN I. AD TIMOTHEVM

autem domini initium intelligetiæ, intellectus autem transgressionis fecit pœnitentiam, etc. Sic Hilarius in Matthæum: Serpēs Adam pellexerat, & in morte fallendo traduxerat. Epiphanius quoque in hæresi Caianorum, quæ est numero 38. Ipse, inquit, diabolus per mendacium decepit Euam & Adam, alia pro alijs dicens, & amicitiam cum creatore ostendens, Eritis sicut dij, & non moriemini. Et Cyrillus lib. 3. contra Julianum apostat. Diabolus (inquit) pestilétem malitiæ doctrinam primis parentibus immisit. Et iterum circa medium libri, tractans quod Deus misericorditer hominem mori voluerit, ut non semper in eo esset prauitas. Sapienter (inquit) Deus statuit, quod euenerit (scilicet mortem.) Etenim homo draconis deceptionibus in spé vanâ actus fuisset. Fortassis & habitus fuisset pro Deo primus homo, si de ligno (vitæ) comedisset, ut indicauit Moyses. Induxit enim vniuersorū Deum dicentem: Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis: non enim Deus propter trāsgressionem erat, sed in extremam miseriā inciderat.

Idem sentit Chrysostomus in hunc locum. August. lib. 1. contra Julianum cap. 3. secundum paruos libros. Olympius, inquit, Hispanus epis copus, vir magnæ in Ecclesia & in Christo gloria in quodam sermone ecclesiastico: Si fides, inquit, vñquam in terris incorrupta manifester,

Cap. 3.

Genes. 3.

Vide ep̄-
demi li. 2.
in Ioan.
cap. 3.

C A P V T I I .

52

sisset, ac vestigia defixa tenuisset, quæ signata deseruit, nunquā protoplasti mortifera transgressione vitium sparisset in germine, ut peccatum cum homine nasceretur. Et Prosper in calce libri contra Cassianum, ubi proposita septima hac eius hæretica definitione. Concepit ergo Adam post prævaricationem, quam non habuerat, sciétiam mali: boni verò, quam acceperat, sciétiam nō amisit. Sic subdit Prosp̄er: Cum vtrunque sit falsum: quia & à quarto malo Adam cauere deberet, Deo monente prædicidit: & in quanto bono esset constitutus, dum diabolo credidit, oblitus est. Et libro 2. de vita contemplativa cap. 19. Nisi primi, inquit, parentes qui à dilectione Dei iam defecerat, tria mundi vitia diligenter, nunquam male suauis, serpentis concilio credidissent. Et paulò post, se fieri, inquit, posse, quod Deus est crediderūt. Et rursus cap. 19. cōtra Cassianum: In Adam, Rom. 5. inquit, omnes peccauerunt, & quicquid ille perdidit, perdidérūt. Perdidit autem primitus fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem, spoliatus est sapientia & intellectu, caruit concilio & fortitudine, & impie altiora sectando, à veritatis scientia, & obediētiæ pietate deiectus est: Nec ipso saltem timore sibi reliquo, ut ab interdictis vel metu caueret pœnæ, qui abstinebat amore iustitiae. Et infra: Cap. 19. Postquā Adam se deceptoris suo subdidit, per-

H 4

didit

dedit boni scientiam. Iustitiam enim iniquitas depulit, humilitatem superbia destruxit, continentiam concupiscentia illisit, infidelitas rapuit fidem, captiuitas abstulit libertatem, nec potuit illic villa portio residere virtutum, quanto irruperat turma vitiorum. Et Leo Papa primus serm. 2. de natiu. domini. Gloriabatur, inquit, diabolus sua fraude deceptu hominem, diuinis caruissim muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subiisse sententiam. Et sermone 3. Illa quæ deceptor inuexit, & homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Saliatore vestigium. Et sermone 4. Homo primus quia inuido & deceptor temerè atque infelicitate credidit & superbiam consilijs acquiescens, repositum honoris augmentum occupare maluit, quam mereri: non solum ille homo, sed etiam vniuersa in illo posteritas audiuit: Terra es & in terram ibis. Fulgentius quoque lib. 2. de incarnatione & gratia Christi cap. 13. de primo homine loquens: Peccans, ait, ille, qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo quod animæ sanitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi quæ ad Deum pertinent, amisit protinus facultatem: oblitus est enim manducare panem suum, & expoliatus vestimento fidei, carnaliumque concupiscentiarum vulneribus sauciatus, sic iacuit oppressus dictione peccati, ut nullatenus aliquod bonum vo-

Genes 3.

næ voluntatis initiu habere potuisset, nisi hoc Deo gratis donante sumpsisset. Et cap. 12. Cogitationis, inquit, sanctæ amissa pridem in homine primo, per hominem secundum recipitur facultas. Et cap. 22. Quia, inquit, primus homo in superbiam diabolica est persuasione deiectus perdidit humilitatem, perdidit fidem: perdens autem fidem, perdidit diuinam protectionem. Scriptum est enim: Qui non credit Eccl 2. Deo, à Deo nō protegitur. Sic in lib. de fide ad Petrum Diaconum cap. 3. Angelis, inquit, & hominibus ita cognoscendi ac diligendi se facultatem, voluntatemq; donauit, ut eam vnuquisque & habere posset & perdere. Si quis tamen sponte eam perderet, suo eam deinceps arbitrio resumere non valeret: ut illius esset sanctæ cogitationis initia gratuitæ dono bonitatis denuò reuocandis, quibus vellet insundere, cuius fuit in ipso creationis exordio nullis præcedentibus meritis spiritus & corpora locis atque affectionibus prout ipse Sapiens voluit cōgruè & mirabiliter ordinare. Celestinus etiam Pontifex cap. 4. epistolæ contra Pelagianos: Omnes homines in prævaricatione Adæ dicit naturalem possibilitem & innocentiam perdidisse, vtique naturalem possibilitatem credendi & recta cogitandi. Si autem ipse Adam eam nō perdidit, sed seruauit quomodo posteri perdiderunt? cum peccatum prius ipsum

IN I. AD TIMOTHEVM

ipsum corruerit quam posteros. Certè Cassianus sic argumērabatur: Adā seruauit scientiam boni, seruant igitur eandem & posteri. Nec Prosper hic consecutionem negat, sed antecedens interimit, vt videre est sub finem libri contra Cassianum, de cuius definitionibus, sic dicit: His definitionibus hoc docetur, hoc scribitur, hoc editis disputationibus prædicatorum quod Adam peccante, anima eius lœsa non fuerit, sanumq; in eo manserit vnde peccauit, siquidem sciētiā boni quam acceperat nō amiserit, nec potuerint posteri eius id perdere, cuius damnum nec ille pertulerit. Hinc Concilium Arauficanum 2, ipsum Adam per suam prævaricationem, totum, id est, secūdum corpus & animam in deterius dicit commutatum, nec animi libertatem mansisse illasam. Explicat autē libertatis huius lœsionem cap. 5. & 6.7. & 8. docens in nullo esse initium fidei, nisi per gratię donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidē, quia omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis ita est infirmatum atq; lœsum, inclinatum & attenuatum, vt nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonū est posfit, nisi gratia eum & misericordia diuina præuenerit: Sicut dicit Concilium canone 25.

Ex qui-

Cap. i.

C A P V T I I .

54

Ex quibus omnibus patet Adamum non tantum perdidisse fidem, sed etiam infidelem factum & contrarium fidei, immo tales omnes nasci, iuxta illud Psalmi: Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa. Et Ecclesiastici 11. Error & tenebrae cum peccatoribus concreata sunt. Et illud Saluatoris: Ego lux in mundū veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris nō maneat: vtique in tenebris infidelitatis & vitiorū. Ante fidem igitur in Christum omnes in tenebris manent. Rursus illud Apostoli: Animalis homo non percipite ea quę spiritus dei sunt. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere. Et nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Et: Dominus nouit cogitationes hominū, quoniam vanæ sunt. Et: Si quis videtur intra vos sapientes esse, stultus fiat vt sit sapiens. Quibus omnibus designatur quod. ratio hominis corrupti antequā à Christo illuminetur iudicet stulta esse, quæcunque tradit doctrina Christiana. Et in lib. cōtra Cassianū pulcherrimè docet Prosper totam primi hominis calamitatē in vniuersam posteritatem transisse. Idem Cyrillus dicit epistola priori ad Successum episcopum Iauriæ: Fatemur, inquit, per Adę prævaricationem humanam fuisse corruptam substatiā: & intelligentiam nostram voluptatibus carnis, & infitatis

Tomo 4.
ad calcē
lib. de in-
car. V ni-
geniti,

infisit motibus accidētibus nostræ naturæ ve-
lut tyrannica dominatione compressam. Hæc
ille. Inter motus autem prauos quibus natura
nostra corruptitur principem locum obtinet
infidelitas. Sicut dicit Fulgentius lib. de fide ad
Petrum cap. 3. In illo, inquit, examine iusti iu-
dicis animæ in eisdem singulis corporibus suis
accipient retributionem, siue regni, siue sup-
plicij, in quibus siue bonam, siue malam quali-
tatem vitæ præsentis habuerunt. Qualitas au-
tem malæ vitæ ab infidelitate incipit, quæ ab
originalis peccati reatu sumit initium. In quo
quisquis vivere ita incipit, ut ante finiat vitâ,
quæ ab eius obligatione solvatur, si vnius diei
vel vnius horæ spacio anima illa vixit in cor-
pore, necesse est eam cum eodem corpore in-
terminabilia gehennæ sustinere supplicia.

Hinc Leo Papa primus sermone 5. de nativitate domini sic dicit: Non in solo opere virtutum aut in sola obseruantia mandatorum, sed etiam in tramite fidei angusta & ardua via est, quæ ducit ad vitam, & magni laboris est, magni-
niq; discriminis inter dubias imperitorū opi-
niones & verisimiles falsitates per vnam sa-
næ doctrinæ semitam inoffensis gressibus am-
bulare, & cum vndique se laquei errorésq; op-
ponat, omne periculum deceptionis euadere.
Quis auté ad hæc idoneus, nisi qui spiritu Dei
& docetur & regitur, dicente Apostolo: Nos
autem

autem non spiritum huius mundi accepimus, 1. Cor. 1. vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, ca-
nente etiam Dauid: Beatus quem tu erudieris Psal. 93.
Dñe, & de lege tua docueris eum. Hæc Leo.
Ex quibus manifestum est, quod sicut ex cor-
ruptione naturæ est, quod homo sibi derelictus
nō vitet nec vitare possit omnia crimina mo-
rum, ita nec possit vitare omnia crimina erro-
rum atque infidelitatis. Sed nunc, videamus ^{August.}
quid hac de re Augustinus senserit, qui vnuſ ^{sententia.}
nobis multorum instar est. Ac in primis qui-
dem docet & hic primum hominem fuisse de-
ceptum, atque infidelē factum. Vnde scribens
in Psal. 68. in illud: Quæ non rapui tunc exol-
uebam, sic ait: Quis rapuit? Adam. Quis rapuit
primum? Ille ipse qui seduxit Adam. Quomo-
do rapuit diabolus? Ponam sedetm meam ad ^{Esa. 14.}
aquinonem, & ero similis altissimo. Vsurpauit
sibi quod nō acceperat perdidit quod accepe-
rat: Et ipso calice superbiæ suæ ei quem deci-
pere volebat, propinavit. Gustare, inquit, & ^{Genes. 1.}
eritis sicut dij. Rapere voluerunt diuinitatem,
perdiderunt felicitatem. Et 14. de ciuit. Dei,
cap. 17. Hoc, inquit, cognoverūt primi paren-
tes post transgressionem, quod felicius igno-
rarent si Deo credentes & obediētes nō com-
mitterent, quod eos cogeret experiri, infideliti-
tas & inobedientia quid nocerent. Et lib. 11. de
Genesi ad literam cap. 31. tractas illud, Aperte
sunt

IN I. AD TIMOTHEVM

sunt oculieorum, & cognouerunt se esse nudos: Vbi (inquit) ad transgrediendum præcepit audax curiositas mota est, auida experiri latentia, quidnam tacto verito sequeretur, & noxia libertate habenas prohibitionis rumperet delectata, probabilius existimans non esse mortem quam timuerat, fecuturā. Tale quippe pomum credēdum est fuisse in illa arbore, cuius generis poma iam in alijs arboribus innoxia senserat: vnde magis crediderūt Deum posse peccātibus facilē ignoscere, quod patienter tulerint nō cognoscere quidnam esset, vel cur eos inde cibum sumere vetuisset, etc. Quibus verbis, dicit eos non credidisse verbo Dei,

Genes. 3. quo dixerat: Quocunq; die comedeleris ex eo, morte morieris. Et cap. 34. eiusdem libri: Quid mirum, inquit, si superbi volētes esse sicut dij, euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: Se quippe dixerunt esse sapientes in abundantia sua, & illo

Cap. 18. auertente faciem, stulti facti sunt. Et lib. 3. de libero arbit. de primis parēribus agens: Illa est, inquit, peccati pœna iustissima, vt amittat vñquisq; quo bene vni noluit, cum sine vlla posset difficultate si veller: Id est autem, vt qui sciens recte nō faciat, amittat scire quid rectum sit: & qui recte facere cum posset noluit, amittat posse cum velit, etc. Sic in Enchir. cap. 24. Hoc nempe defectus ab immutabili bono pri-

mum

C A P V T I I .

56

mum est creaturæ rationalis malum, id est, prima priuatio boni: deinde etiam iam nolentibus subintravit ignorantia rerum agendarum & concupiscentia noxiarum. Et cap. 30. de primo homine agens: Libero arbitrio, inquit, male vñtes homo & se perdidit & ipsum: Vnde ad iustè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse iustitiae cœperit seruus. Et ca. 31. ostendit quod nō solùm libertas ad bona opera alia, sed etiam ad credeñdum primo hominis peccato sit amissa. Nasci autem omnes infideles, & fidei aduersos docet idem August. tum locis iam citatis, tum i. Retractat. cap. 9. aiens omnes nasci cum ignorantia agendorū. Et 22. de ciui. Dei cap. 22. Cum erroris, inquit, & peruersi amoris radice omnis filius Adam nascitur. Et lib. 6. contra Iulianum cap. 5. Infans, inquit, (scilicet mulieris baptizatæ) crebatur in templo Dei, non templum Dei; Ita in foemina fidei creatus est infidelis, & in eum parentes infidelitatem traiecerunt, quam non habebant quando ex ipsis natus est: sed tunc habebant quando & ipsi similiter nati sunt. Traiecerunt ergo quod iam non erat in eis propter spiritale semē quo regenerati sunt, sed erat in eorum semine, quo generauerunt. Sic lib. 1. de peccatorum meritis & remis. cap. 20. docet paruulos nō baptizatos medios nō esse inter fideles & incredulos, sed planè pertinere ad eam

- Ioan.3. adeam sententiam: Qui incredulus est filio, ira Dei manet super eum. Sic ca. 28. dicit parvulos Matt.12. non baptizatos sub illa sententia contineri: Qui non est mecum, aduersum me est, quam sententiam dicit dominum definitius protulisse, ut ora male credentium obstrueret, qui infantes non baptizatos medios faceret inter Christo adhaerentes & aduersantes. In epistola autem ad Vitalem, quæ est 107. aperte dicit, credere in Deum opus esse gratiæ, quam qui accipiunt, doctrinæ salutari sanctorum scripturarum, et si fuerint inimici, sunt amici: nō autem doctrinæ opus, quam qui audiunt & legit sine gratia Dei, peiores eius efficiuntur inimici. Cur autem homo sine gratia Dei audiens doctrinam salutarem peior eius efficitur inimicus, nisi quia infidelis est & pravi affectus ad veritatem? sicut supradiximus. In eadem quoque epistola ad Viralem ex Apostolo ad Ephes.2. Hic, inquit, spiritus, hæc potestas tenebrarum, quid operatur in filiis diffidentia nisi opera sua mala. Et in primis maximèq; ipsam diffidentiam & infidelitatē, qua sunt inimici fidei per quam scit eos posse mundari, posse sanari, posse perfectissimè liberos (quod eis vehementer inuidet) in æternitate regenerari. Nihil sic agit hic princeps quam ut non credatur in Deum, nec ad mediatorem à quo eius opera soluuntur, credendo veniatur, sed ipse mediator intrat in do-
- Matt.12.

in dominum fortis, & prius alligat eum, id est, eius coercet & cohicer potestatem potestatis suæ fortioribus vinculis, & sic eripit vasæ eius, quæcunque prædestinavit eripere, arbitrium eorum ab eius potestate liberans, ut illo non impediente credant in istum libera voluntate. Sic 12. lib. de Trini. cap. 12. Filij diffidentiæ (inquit) sunt infideles: Et quis hoc non est, antequam fidelis fiat. Quocirca omnes homines ab origine sub principe sunt potestatis aëris, qui operatur in filijs diffidentiæ. Et quod dixi, ab origine: hoc est, quod dicit Apostolus, natura Ephef.2. ra & se fuisse sicut cæteros: natura scilicet, ut est depravata peccato, non ut recta creata ab initio. Nunc videndum est quomodo quod hic ait Apostolus, Adam nō fuisse seductum, prædictis non aduersetur. Recessemus igitur veterum patrum cōmentarios, ac postremo Augustini. Cum autem omnes in hoc conueniāt, ut textui Apostolico aliquid adjiciāt, nec simpliciter eum intelligent, patet omnes sensisse Adam fuisse seductū & à fide aberrasse, iuxta quod ait scriptura ipsum apostatasse à Deo: Initium superbiæ hominis apostatasse à Deo. Eccl. 10. Apostasia autem est iniquitas illa quæ alienat à Deo, hoc est, infidelitas, ut dicit August. con- cione 3. in Psal. 118.

Primum igitur cōmentarium suggestit no- I cōmē-
bis ipse loci cōtextus, vbi quemadmodum di- tarius.

I citur

I N I . A D T I M O T H E V M

citur Adam priorem formatum esse , deinde Euam: sic cum subiungitur Adam non esse seductum, prior seductus esse negatur. Sic intelligunt Oecumenius, Glosa ordinaria, & Thomas in commentariis huius loci. Similiter & Haymo: Adā, inquit, nō est seductus, subaudis, primus, per serpentem. Et Epiphan. in hæresi Quintilianorum, & Lombardus. Secundus commentarius hunc reddit sensum, Adam non est seductus, per diabolum scilicet. Sic Hieronymus cōtra Iouinianum lib. i. & commentarius Ambrosio inscriptus, qui sic habet: Adi-
cīt Apostolus aliud, quia diabolus non virum seduxit, sed mulierem, vir autē per mulierem deceptus est. Sic & Chrysostomus: Pār, ait, profectō non est ab ea, quā sibi generis socie-
tate iungeretur decipi, & à bestia, quā seruitu-
ti hominis fuisse addicta. Illud igitur potius seductio, ac verius dici potest. Ad compara-
tionem ergo mulieris, dicit illum non fuisse seductū. Illa quippe ab irrationali animante
decepta est, hic autem à libera muliere.

III. I. Tertius commentarius est Theophilacti, &
apud Oecumenium; & posterior. Eundē sub-
indicit & Chrysostomus. Est & Hugonis de
sancto Victore quæstione 16. in priorem epi-
stolam ad Timotheum: vt dicatur vir nō esse
seductus, sed mulier, quia scriptura dicit mu-
lierem dixisse, Serpens decepit me, nihil tale
Genes. 3. de viro

C A P V T I I .

58

de viro referens, qui tantū dixit, Mulier de- Genes. 3.
dit mihi & comedī; ea phrasī, qua in epistola
ad Hebræos dicitur Melchisedech nō habuīs- Hebr. 7.
se patrem, matrem, genealogiam, initiam die-
rum vel finem, quia certi mysterij causa scrip-
tura vetus hæc tacuit. Ita Apostolum reputat
hic significare quod certi mysterij causa Gene-
sis expressis verbis non dicat virum esse de-
ceptū, sicut dicit de muliere. Potest & alijs
sensus sine vlo supplemento ex Genesi reddi,
quia Adam verè dicere non poterat, Mulier
seduxit vel decepit me, licet interim suadente
muliere falsum esse crediderit, Neque enim is
propriè decipere dicitur, qui putans verū esse
quod dicit, revera tamen falsum alteri persua-
det, vt nec dolosus aut fraudulentus is voca-
tur. At Eua recte dixit de serpente, Decepit
me: quia animo fallendi falsum ei persuasit. Si-
mili igitur modo in textu Apostoli Adam di-
citur non esse deceptus vel seductus, quia ne-
mo eum, nec diabolus ipse fecellit: Sed mulier
seducta est, diabolo scilicet eam fallēte. Et hoc
commodē seruit proposito Apostoli docentis
mulierem nō debere docere, quia etiam dum
integra esset, tam infirma iudicata est, vt dia-
bolus non ad virum, sed ad eam fallendam ac-
cesserit & verè deceperit. Ambrosius textū
Apostoli, sic legit: Mulier autem seducta facta
est in prævaricationē. ita vt sit sensus: Vir non
I 2. est se-

V.

IN I. AD TIMOTHEVM

est seductus, ita ut fieret mulier author præuaricationis: Sed contra, mulier seducta facta est viro in præuaricationem, id est, ut vir præuaricaretur: sicut dicitur Christus Iudæis factus in ruinam, & cæcitatem, & laqueum, & scandalum. Sic etiam legisse videtur Ambrosius in lib. de paradiſo, quod & Chrysostomus in cōmentarijs subindicat: Paulus inquit, Mulier semel docuit, & cuncta peruerit: virumq; (addit Oecume.) inobedientiæ fecit obnoxium, idcirco vltra nō doceat. Itidē Hiero. li. i. cōtra Iouinianum, & Aug. lib. de Genesi ad literam cap. 42. Mulier, inquit, seducta in præuaricationem facta est, id est, ut per illam etiam vir præuaricaretur. Deniq; fieri potuit ut mulier quæ à Deo non audierat præceptum, sed à viro (ut ait August. cap. 34. ii. de Genesi ad literam) persuasa sit Deum non præcepisse, ut abstineret à ligno scientiæ boni & mali, sicut carnales homines reputant Deum non præcepisse ut ab ebrietate abstineamus. Adā verò qui à domino audierat præceptum facile meminit, Deum sibi hoc præcepisse, sed nō existimauit Deum tam acriter id, quam dixerat, vindicaturum: quemadmodū docti complures non ignorat Deum prohibere ebrietatem: opinantur tamen non esse mortale peccatum aut non nisi veniale. Vnde August. lib. 14. de ciuitate Dei cap. ii. Hos Apostolus (inquit) sedu-

Luc.2.

VI.

C A P V T I I .

59

seductos intelligi voluit, qui id quod faciunt, putant non peccatum. Ille autem sciuit: Alioqui quomodo verum erit, Adam non est seductus? sed inexpertus diuinæ seueritatis in eo falli potuit, quod veniale crederet esse cōmisiſum: ac per hoc, in eo quod mulier seducta est, non est ille seductus. Et lib. ii. de Genesi ad litter. cap. 30. Arbitror (inquit) quod putauerit Deum alicuius significationis causa dixisse: Si manducaueritis morte moriēmini. Atque ita putasse etiam potest non propriè ipsum præcepisse. Pro hac re, facit quod in Genesi dominus non improperet Euæ violationē præcepti seu inobedientiam propriè dictam, sicut Adæ, cui Genes. 3. dicit: quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno de quo præceperam tibi ne comederes. Et paulò superius: Quis indicauit tibi quod nudus es, nisi quia de ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti. Et ad Rom. 5. meminit Apostolus inobedientiæ Adæ. Nescis autē an Eua vsquam inobedientiæ notetur. August. ii. de Genesi ad literam cap. 30. sic legit, Dixit ergo serpens mulieri, Quid? quia dixit Deus, etc. Chaldaeus quoque interpres, Verum ne est quod dixit Deus? etc. Pagninus sic vertit, Verè dixit Deus, Non comedetis ex omni arbore horti? Et tanquā diceret: Non est verum quod præceperit Deus ut abstineretis ab omni ligno, quod vtiq; ve-

I 3 rum

IN I. AD TIMOTHEVM

rum erat. Ac deinde etiā subiunxit: Nec etiam præcepit ut abstineretis ab illo ligno scientia^e. Cor. ii. boni & mali, quinimo, scit Deus (quod per modum iuramenti dictum intelligo, sicut Paulus iurat, Deus scit: Non enim conueniebat serpentinis fraudibus ut diceret Deum inuidere hominibus) quod eritis ei similes, scientes bonum & malum. Et ideo hanc arborem cū alijs omnibus, ut similes ei fieretis, donauit. Sic intelligere videtur Epiphanius in hæresi Caianorum, vbi habet diabolum, cum diceret: Eritis sicut dij, & non moriemini, simulasse amicitia sibi cum creatore intercedere. Certè 2. ad Corinth. ii. Apostolus seductionem pseudo-apostolorum comparat seductioni Eux. Pseudoapostoli autem dum scientiam, veritatem, vitam, & libertatem, & Dei similitudinē atq; gratiam promittunt, simulant se honorare Deum tanquam essent angeli lucis, & aiunt: Hæc dicit dominus Deus. Sicut & mendax ille propheta qui decepit virum Dei qui venerat de Iuda in Bethel. Videtur igitur omnino & Sathanas in principio se transfigurasse in angelum lucis, & nullo modo dixisse Deum esse inuidum: sicut etiam Christum decipere conatus est per scripturam sacram tanquam Dei testimonium honorans. At dicet quispiam: Si Eua putauit non esse peccatum, quia non esse præceptum à Deo ex mentis cæcitate &

carna-

C A P V T . I I .

60

carnalitate crediderit, nō ergo videtur prævaricata, quia prævaricari dicitur, qui sciēs violat legem. Apostolus autē hic eam prævaricatam dicit. Respondendum est: etiam eum dici prævaricatorē, qui cum scit aliquid prohibitum, pōst inualecente passione vel malitia seu alia deceptione iudicat non esse prohibitum. Sicut incontinentis ex passione peccās. De cuius modi Apostolus ad Romanos agens: Peccatum, Cap. 7. inquit, occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit. Sicut etiam ille Propheta 3. Re. 13. c. seductus peccauit & prævaricatus est, dicitur fuisse inobedientis quo modo & Eua etiam inobediens fuit. Contra id quod diximus, Adamum perdidisse fidem, sic quidā obijciunt. Diabolus peccando non perdidit fidē, multo minus primus homo. Siquidem dæmones credunt & contremiscunt, vt Iaco. 2. inquit Iacobus. Credunt etiam Christum esse Luc. 4. Deum, & fidem Catholicam esse veram, aliqui non studerent quenquam ab ea auocare.

Respondendum est, etiam diabolum cum angelis suis peccando fidem perdidisse. Et hoc satis docet Ezechiel cap. 28. sic alloquens diabolum: Et eleuatum est cor tuum in decore tuo. Perdidisti sapientiam in pulchritudine tua. In qua verba D. Hieronymus, Corrupta est (inquit) doctrina tua cū decore tuo: siue perdidisti sapientiam tuam in decore tuo; vt dum

I 4 plus

plus vis esse quam cōditus es, & magis sapere quam à Deo acceperas, etiā id perderes quod habebas, & pro pulchritudine atque doctrina, deformitas te atque stultitia possideret. Idem in 14. cap. Esa. tractans illud: Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer? qui mane oriebaris: Est, inquit, princeps seculi, qui inter stellas cæteras mane oriebatur, & suo vitio de lucifero vespere effectus est, & non oriens, sed occidens. Et satis istud significatur cum diabolus in scripturis tenebræ vocatur. Hæc est, inquit Christus, hora vestræ, & potestas tenebrarum. Sic

Luc.12.

Ench.23

Ibid.24.

Ibid.25.

In respō.
fione pto
mona-

Augustinus in Enchiri. cap. 23. & 24. Nequam, inquit, dubitate debemus rerum quæ ad nos pertinent bonarum causam nō esse nisi bonitatem Dei: malarum verò ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem prius angeli, hominis postea. Hoc primum est creature rationalis malum, id est, prima priuatio boni: deinde etiam iam nolentibus subintravit ignorantia rerum agendarum, & concupiscētia noxiarum. Verū hæc communia mala sunt & hominum & angelorum pro sua maiitia, Dei iustitia damnatorum: Sed homo haber & pœnam propriam, qua etiam corporis morte punitus est. Et Fulgētius lib. de fide ad Petrum cap. 5. vt allegatum est suprà. Sic Maxentius scribens aduersus Faustum: Huic, inquir, si acquiescat, non solum heretici &

Centi-

Gentiles, verumetia dæmones fideles esse cre- chis Scy-
dendi sunt: quod in quo est fides, infidelis nul- tharum.
lo pacto dici potest. Certè ex vtraque defini-
tionis parte, qua Apostolus ad Hebreos fidem
definit, satis liquet in dæmonibus fidem non Hebr.ii.
esse. Primum enim, cum diabolus desperet se
supplicium æternum euadere posse, non est in
eo aliqua cognitio, quæ sit substantia siue fun-
damentum rerum sperandarum: vnde nec in
dānatis fides est. Ipsi enim (sicut diues epulo) Luc.16.
sciunt se nō posse ex eo loco vñquam liberari,
vt transeat in locum vbi est Abraham cum
Lazaro. Quod enim ibi epuloni dicitur alijs
damnatis commune est, vt rectè annotat Ba-
filius homilia 23. non esse adhærendum rebus
secularibus: Compleetur igitur in diabolo &
hominibus damnatis, quod scriptū est: Quod Matt.13.
non habet & quod habet auferetur ab eo. De-
inde neque secunda pars definitionis aposto-
licæ competit in damnatos, qua dicitur fides
esse argumentum rerum non apparentium, si-
c ut August. docet lib. 2. de pecca. mer. & rem.
non esse fidem dicendam, si videremus omnes
qui credūt in Christum corporaliter nō mori,
quia fides non est de apparentibus. Cum igitur
dæmones & omnes damnati experiātur le af-
fligi, non autem illos qui credūt in Christum,
satis clarum est quod non omnia tanquā vera
esse habeant, quæ Christiana docet religio: sed
ad hoc

IN I. AD TIMOTHEVM

ad hoc tantum utilia, ut euadantur in quæ inciderunt supplicia, & quo ad hoc fatentur se fuisse imprudentes, & non habuisse lumen intelligentiæ & solem iustitiae sibi lucentem. Si

Sap. 5. contingere damnatos à pœnis esse immunes, non minus detestarentur iam ac irrideret quæ fidei sunt, atq; olim dum in mundo adhuc uiuerent. Vnde cognitio quam nunc de rebus fidei habent, similis est pœnitentiæ quam agunt super peccatis, quæ pœnè tantum est non culpa dispergientia: Ea enim adhuc eis placet, cuperentque adhuc perficere, si possent. Sic im-

Luc. 16. misericors epulo in inferno gulæ delectationem querit: Et fatuæ virgines humanas laudes. Non igitur dæmones & damnati aliquod lumen accipiunt quo credat ea quæ Dei sunt, sed sola id eis pœnarum præstat experientia. Quemadmodum Adam non aliquod lumen accepit, ut cognosceret verū esse Dei dictum de ligno scientiæ boni & mali, etc. sed mortem experiendo, Deum veracem cognovit, quem si expertus non esset, in sua permanisset infidelitate, donec ei gratia Dei subuenisset. Similiter nihil eis illuminationis promittitur, qui-

Malac. 3. bus ait Malachias: Dixisti, Vanus est, qui seruit Deo, etc. Et scietis, quid sit inter seruictem Deo, & non seruientem Deo. Certè ex historia diutinis epulonis & fatuarum virginum, sa-
Ibid. 3. tis clarum est nullam eos Deo fidem habere,

nisi

CAPVT II.

62

nisi quatenus experientia cogitur, quia secundum infidelium imaginationem putat Deum inanibus verbis placari posse, etiā si in iniuste permanferint: Vnde aiunt, Pater Abraham **Luc. 16.** miserere: Domine, Domine, aperi nobis: Do- **Matt. 25.** mine quado te vidimus esurientem: Domine, **Matt. 25.** nōnne in nomine tuo prophetauimus, & dæ- **Matth. 7.** monia eieimus? Itē putat epulo ad saniores mentem fratres reddituros, si videret Lazarum resurgentem, & ab eo tormenta inferni didicerint, potius quam per legem & prophetas: quæ manifesta est infidelitas. Sed contra hanc postremam rationem obijcas: Si ex eo dæmones fidem non habent, quod tormentis ipsis experiantur utilem esse Christianam religionem ad gehennam euadendam, ergo nec Abraham habuit fidem, quia euidens ei erat Deum esse qui ipsi loquebatur, nec Deum mentiri posse: quare & verbū illud euidens erat quod à Deo audiebat. Respondendum est Abraham fide id percepisse, quia etiam cessante euidentia illius, quod Deus esset qui loqueretur, crederet, & paratus erat credere, etiam citra huiusmodi euidentiam: vti & nos per lumen fidei ex pia voluntate credimus. Ad hanc credebat Deum vera loqui. Dæmones autem non aliud credunt, quam quod experientur, nempe Deum in hoc veracem esse, quod sibi adhærere nolentes affligat: Non autem alia (vt arbitror) quæ non expe-

IN I. AD TIMOTHEVM

experiuntur quale est, Deum esse trinum & vnum, etc. Sicut enim dicunt Deum esse iniustum (more eorum, de quibus Ezechiel ca. 8.) ita nec inconueniens est quod Deum faciant mendacem. Sed quatenus Deum blasphemét, præsertim damnati valde obscurum est. Iacobus ergo Apostolus loquitur de hac fide, quā experientia tormentorum habet, vnde addit: & contremiscunt. Imò potius de confessione fidei, quā vel simulatè, vel per tormenta compulsi apud homines edunt. Vnde August lib. de vnico baptismo cōtra Petilianum, hinc ait,

Cap. ro. Matt 16. Laudatus est Petrus, quādo dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Expulsi sunt demones, hoc ipsum dicentes: Scimus quia sis filius Dei. Ergo ista confessio Petro fructuosa, dæmonibus perniciosa. In vtrisq; tamen nō falsa, sed vera.

Marc. 1. Et mox: Eadem ipsa confessio rectos catholicos adiuuat, hæreticos condemnat. Vnde & Apostolus Iacobus, &c. Et de hoc quidem loco hactenus.

IN CAPVT TERTIVM.

 *Ermo fidelis.* Chrysost. & Theophilactus, & Oecumenius ad superiora referunt, quod parentes per rectam educationē filiorum sint saluādi. Haymo & Lombarodus similiter exponunt, addentes rectè etiam ad se-

C A P V T III. 63

ad sequētia referri. Et sic refert Ambrosius lib. de dignitate sacerdotali cap 4. *Fidelis sermo*, ac si diceret: De quo sum locuturus, veraciter loquor, ne quis me existimet fuisse mentitū, etc. Apocalyp. vlt. similiter dicitur: Hæc verba fidelia sunt & vera. Opponitur autem hæc sermonis fidelitas vaniloquio. Vnde Paulus solum in tribus epistolis, nempe vtraque ad Timotheum & ad Titum, quæ contra matheologos sunt scriptæ, hac forma loquendi vtitur.

Si quis episcopatum, &c. Non proponit hic Apostolus describere ecclesiasticā hierarchiā, vti Dionysius Areopagita, sed hoc agit vt Timotheus insignes constituant episcopos contrariantam praua docentium turbam, vtque aliōqui vulgares à docendo & administrandis sacramētis absterrere posset. Episcopatus hoc loco curam & superintendentiam in alios significat, nō ipsam dignitatem, siue superioritatem & eminentiam. Episcopatus (ait Chrysostomus) ex eo dicitur, quod omnes inspiciat, cunctaq; speculetur. Sic Hieronymus epistola ad Oceanum, quæ incipit, Nunquam fili.

Bonum opus desiderat: Opus, non dignitatem, laborem, non delicias, opus per quod humilitate decrescat, non intumeat fastigio. August. 19. de ciuit. Dei cap. 9. tractans hunc locū, expōnere, inquit, voluit quid sit episcopatus, quod nomen est operis, nō honoris. *Bonum.* Ambro-
fius,

sius. Hoc enim ait, cupiens, bonam vitam appetere videtur. Et Chrysost. dicit: Si quis hoc desiderat, desiderat bene, non culpo, non improbo. Græcè magis sonat: opus egregiū siue honestum. Sensus igitur Pauli est. Qui desiderat alios ad salutē adducere & eis prospicere, insigne & valde bonum opus desiderat. Similiter dixeris. Qui nunc ita vitam suam & studia componit, ut quandōque verbo & exemplo fideles spiritualiter pascat, desideriū sanctū habet. Nunc obscura nobis sit hæc sententia propter terrena bona quæ circumstant & insigni operi adiacent, ad quæ nimium carnales potissimum ferè apertos habemus oculos. Locus superior indecenter appetitur; non fructus quem facit homo in superiori loco. Honestè desiderat cōiunx prolem: in honestè autem satisfacere libidini. Notum est quod cognitione atque appetitione separantur, quæ re coniuncta sunt.

Oportet enim episcopum. Græcè est ergo. Sic etiam Ambrosius & Hieronymus legunt. Er accipitur expletiuè, quasi diceret. Videamus igitur qualis debeat esse episcopus. Irreprehensibilem esse, quod ad Titum dicit, sine crimine. Huiusmodi nimirum, quem nemo possit iustè reprehēdere: de quo nemo habet iustam querelam: siue qui est bona fama: nō infamis: sine accusatione, ut Hieronymus dicit lib. 1. contra

Cap. 1.

Pela-

Pelagia. Vide August. de perfectione iustitiæ, in propositione testimoniorum, quæ ex scripturis obijciunt Pelagianis Catholici in 1. propositione & 11.

Vnus vxoris virum. Non hoc veluti sanciens dicit quasi nō liceat absque vxore episcopum fieri, sed eius rei modū cōstituens, ut ait Chrysostomus. Et sensus est, Enī tantum debere fieri episcopum, qui priore defuncta secūdam nō duxerit. Sic Chrysostomus cum suis. Ambrosius cap. vlt. lib. 1. de officijs, & epistola ad Epist. 8. Vercellenses: vbi addit, nō solum Apostolum de episcopo & presbytero statuisse, sed etiam patres in concilio Niceno tractatus addidisse, nec clericum quenquam debere esse, qui coniugia secunda sortitus sit. Quomodo enim potest consolari viduam: honorare, cohortari ad custodiendam viduitatem, seruandam marito fidem, quam ipse priori coniugio non referuerit? aut quid interest inter populū & sacerdotem: si ijsdē astringerentur legibus. August. de bono coniugali cap. 18. Hieronymus quoq; epistola ad Oceanum: Iubentur, inquit, monogami eligi ad clerū. Epiphanius in hæresi Catharorum, quæ est 59. Non suscipit (inquit) sancta Dei prædicatio post Christi aduentum eos qui à nuptijs mortua ipsorum vxore secundis nuptijs coniuncti sunt, propter excellentem sacerdotij dignitatem ac honorem. Et

hæc

hæc certo sancta Dei Ecclesia cum sinceritate obseruat: sed & adhuc viuētem & liberos gig-
nentem vnius vxoris virum non fuscipit, sed
eum qui se ab vnâ continuit, aut in viduitate
vixit, diaconum, & presbyterum, episcopum,
& hypodiaconū, maximè vbi sinceri sunt ca-
nones ecclesiastici. At dices mihi, omnino in
quibusdam locis adhuc liberos gignere pres-
byters & diaconos & hypodiaconos. At hoc
non est iuxta canonem, sed iuxta hominum
mentem quæ per tempus elanguit & propter
multitudinem, cum non inueniretur ministerium: Nam quod decentius est, id semper Ec-
clesia per Spiritum sanctum benè disposita vi-
dens statuit apparare, vt cultus diuini indistra-
eti Deo perficerentur, & spirituales necessita-
tes cum omni beneuola conscientia perage-
rentur. Dico autem quod decorum est, prop-
ter repetina ministeria & necessitates, vt pres-
byter, diaconus, & hypodiaconus Deo deditus
sit. Si enim etiā populo præcipit sanctus Apo-
stolus dicens, vt ad tempus vacent orationi,
quanto magis sacerdoti idem præcipit, vt in-
distractus sit (inquam) ad vacandum secundum
Deum sacerdotio: quod in spiritualibus nece-
ssitatibus ac usibus perficitur. Causa autem
assignatur varia cur Apostolus bigamum reij-
ciat ab episcopatu, Epiphanius assignat excel-
lentem dignitatem sacerdotij & honorem. Sic
& Am-

& Ambrosius, qui & aliā addit causam vt vi-
delicet viduas adhortari possit ad continentia.
Quam etiam Chrysostomus causam in episto-
lam ad Titum refert addens: quod bigamus
facile pateat detractioni, & secundæ nuptiæ ali-
quid petulantiaz habere videantur. Similiter
Hieronymus in epistolam ad Titum ideò pu-
tat bigamum reijci, quod non videatur idoneus
continentiaz preco. Sanè si hæc tantum
causa attenderetur, rectius videretur sentire.
Hieronymus, quam reliqui. Putat enim Apo-
stolum solum reijcere eum ab episcopatu, qui
post baptismū duas habuit uxores. Aliter sen-
tit Ambrosius. August. quoque locis citatis.
Item Innocentius 1. epist. 2. cap. 6. & epist. 22.
cap. 2. Qui censent etiam eum qui ante baptis-
mum duas habuit uxores ex Apostoli senten-
tia ab episcopatu arcendum esse. August. haç
similitudine rem explicat. Sicut ea, inquit, que
vitiata est gentilis non potest inter Dei virgi-
nes coſecrari, & rationem apostolici præcepti
dat ex significatione coniugij. Quia cum epis-
copus gerat vices Christi, atq; præsentet Chri-
stum pro Ecclesia passum atque incarnatum,
ita vt nunquam eam sit relicturus, sed semper
sibi soli subiecturus; non reputatur idoneus,
qui cum matrimonio suo Christi & Ecclesiæ
significaret coniunctionem per incarnationem,
imperfectè eam significauit, & inutilem du-

K cendo

cendo plures vxores. Hanc Augustini sententiam insequitur & Leo Papa epistola 87. ad Afros episcopos, dicete, inquit Apostolo, ut is ordinetur episcopus quem vnius vxoris virum fuisse aut esse constituerit, tam sacra semper est habita ista præceptio, ut etiam de muliere sacerdotis eligenzi eadem intelligatur seruanda conditio. Ne forte illa priusquam in matrimonium eius veniret, qui alia non habuisset vxore, alterius viri esset experta coiugiu. Quis ergo dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti perpetratur iniuria, Cum huic magno venerandoque mysterio, ne diuinæ quidem legis statuta defuerint, quibus euidenter est definitum, ut virginem sacerdos accipiat, & alterius thorum nesciat coniugis quem vxor futura est Pontificis. Iam tunc enim in sacerdotibus figurabatur Christi & Ecclesiæ spirituale coiugium, ut quoniam vir caput est mulieris, discat sponsa verbi non aliud nosse virum quam Christum, qui meritò unam elegit, unam diligit, & aliam præter ipsam suo consortio non adiungit. Si ergo etiam in veteri testamento haec sacerdotaliorum coniugiorum forma seruata est, quanto magis sub reuelata iam gratia constituti apostolicis debemus inseruire præceptis, ut quamlibet quis bonis moribus praeditus & sanctis operibus inueniatur ornatus, nequaquam tamē vel ad diaconij gradum, vel ad presbyterij hono-

Leuit. 21

Ezecl. 44.

defuerint, quibus euidenter est definitum, ut virginem sacerdos accipiat, & alterius thorum nesciat coniugis quem vxor futura est Pontificis. Iam tunc enim in sacerdotibus figurabatur Christi & Ecclesiæ spirituale coiugium, ut quoniam vir caput est mulieris, discat sponsa verbi non aliud nosse virum quam Christum, qui meritò unam elegit, unam diligit, & aliam præter ipsam suo consortio non adiungit. Si ergo etiam in veteri testamento haec sacerdotaliorum coniugiorum forma seruata est, quanto magis sub reuelata iam gratia constituti apostolicis debemus inseruire præceptis, ut quamlibet quis bonis moribus praeditus & sanctis operibus inueniatur ornatus, nequaquam tamē vel ad diaconij gradum, vel ad presbyterij hono-

Honorem, vel ad episcopatus culmen ascédat. Si autem ipsum non vnius vxoris virum, aut vxorem eius non vnius viri fuisse claruerit, etc. Hęc Leo. Qui etiam ex isto præcepto Apostoli vidua maritum putat reiiciendum: quod nullo modo verum esset, nisi ad significationem respiceretur. Certè omnem bigamum à clero reiicit Synodus Nycæna, cum tamen inferioribus clericis matrimonium permittat. Similiter Synodus Neocæsariensis non admittit ad clerū, nec in eo manere permittit cum uxore Cant. g. fornicaria. Hanc sententiam sequitur capitulum Debitum, de bigamis non ordinadis. Tertullianus secudas damnans nuptias dicit in libello de monogamia, episcopū monogamum, & presbyteros, & diaconos eiusdem esse sacramenti. Et mox: Coniungeret vos, inquit, in Ecclesia virgine, vnius Christi unica sponsa. Sed Paulus præcipit & vnius viri uxore fuisse debere, quem viduis ascribenda est. dicendū hoc propterea, quia vidua Ecclesiæ, habebant honorem castitatis viduialis: quam illa non habet, quem mortuo marito iterum nubit: sicut virginitas velamen habere non debet, quem corrupta est etiam ante baptismum. In Carthaginensi 4. concilio cap. 104. etiam habitum distinctum ab Episcopo sumebant viduæ, & honorabilius reliquo populo in collecta 2. Parascheues nominatur. Ex his patet ineptam & recitatu in-

K 2 dignam

dignam esse eorum sententiam, qui putat neminem debere esse episcopum, nisi vxore habeat, cum Paulus optet omnes esse continentes, qualis & ipse erat. In hac sententia erant episcopi illi Vigilantiani, de quibus Hieronymus contra Vigilantium, Non ordinat, inquit, diacones nisi prius vxores duxerint. Nulli cœlibi credentes pudicitia, immo ostendentes, quam sancte viuant, qui male de omnibus suspicantur. Hoc docuit Dormitianus libidini frenam permittens & naturalem carnis ardorem; qui in adolescentia plerumque feruerunt, suis horribus duplicans. Sunt alij haeretici & præcipue nostri temporis, putates sensum esse Apostoli quod non habeat episcopus simul duas vxores, quomodo Iudei antiquitus plures habere solebant. Hunc recitat Hierony. epist. ad Oceanum, de vnius vxoris viro. Item Chrysostomus in commentarijs. Sed non placuisse hanc sententiam Hieronymo ex eo patet, quod in epistola ad Oceanum eum recitaturus commentarium: præmittit vulgatum illud: malo nodo malus querendus est cuneus. Eandem reiicit etiam in epistola ad Titum scribens. Chrysostomus quoq; in epistola ad Titum hunc commentarium penitus omittit. Qui (inquit) defunctæ vxori nullam benevolentiam seruasse deprehenditur, quo pacto hic Ecclesiæ præceptor optimus esse poterit. Pulchre etiam

Thomas

Thomas in epistolam ad Titum eundem refellit. Non esset, inquit, necessarium, quod hoc Apostolus diceret, quia secundum leges Romanas ijs quibus Apostolus scribebat non licet etiam ante fidem duas simul habere vxores. Ex quo & Iudei videntur non vñsi fuisse tempore Pauli more antiquo habendi duas vxores. Julianus ff. de his qui notantur infamia, l. i. prætoris verba dicunt. Infamia notatur qui binas nuptias eodem tempore constitutas habuerit. C. de incestis nupt. Diocletianus & Maximianus neminem, inquit, qui sub editione fir Romani nominis binas vxores habere posse vulgo patet. Cum & in editio prætoris huiusmodi viri infamia notari sint, quam rem competens Iudex inultam esse non patietur. Codice ad legem Julianam de adulterijs. Imperatores Valerianus & Galienus eu qui simul duas habuit vxores sine dubitatione comitatur infamia. In ea namque re non iuris effectus quo ciues nostri matrimonia cōtrahere plura prohibentur, sed animi destinatio cogitatur. Hinc meritò lex Valentiniani, qua statuit licere duas simul habere vxores, tanquam impia & libidinis causa excogitata notatur historiæ Tripart. lib. 8. cap. 11. Item in hac epistola infra dicitur de vidua, quæ fuerit vnius viri vxor: Vbi non licet sic exponere quæ non habeat eodem tempore simul duos viros, quia hoc nunquam li-

K 3 cuit

erit quacunque legē, vt vna esset duorū vxor. Si Paulus igitur viduarum catalogo ascribi non patitur, eam quā duos ordine viros habuit, quāto minus qui diuersis temporibus secundas vxores habuit episcopus fieri debet. Permittit autem Apostolus maritatum eligi episcopum, propter paucitatem Christianorum, tum quia rarissimi erant idonei, quin coniugium iniissent ante Christianismum; & multum erat vigēt Gentilitate vt Christiani fierent, etiam si virgines non essent. At vbi crescente Christianorum numero continētia iam inde ab infantia excoli cōcepta est, soli cōlibes recepti sunt ad sacerdotium. Hoc autem monere oportet nunquam in Ecclesia Dei permīssum, vt quis episcopatu vel presbyterio suscep̄to vxorem duceret. Vnde Paphnutius in concilio Nicēno nolens clericos coniugatos ab vxoribus ante consecrationem ductis lege lata separari satis esse dicebat, si qui clericus esset factus, nō amplius matrimonii contraheret, secundum antiquam Ecclesiæ traditionem. Sic Suidas ad titulū Paphnutij: Nam Zozomenus non satis perfecte hāc recitat libro 2. hist. Tripart. cap. 14. Imò Synodus Carthaginensis 2. cap. 2. ferens legem de continētia episcoporum, presbyterorum, & diaconorum dicit, vt quod Apostoli docuerunt & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.

In ean-

In eandem sententiam scribit & Epiphanius, cuius verba suprà citauimus. Quocirca Theophilacti commentarius ex Loniceri interpretatione (si quidem fideliter is verrit) hoc modo accipiedus est: Si episcopus vxorem duxerit, scilicet ante episcopatum, vnius sit nō duarum maritus. Nam Philippus Montanus sic habet. At si contingat, sit vnius vxoris vir.

Sobrium siue *vigilantem*. Græca enim vox *υγείας* vtruncq; significat. Chrysostomo placet posterius significatum, vt significet clarissima mentis acie prædictum atque peruigilem. Sacerdotes qui ministrant templo Dei, prohibentur vinum & siceram bibere: ne in crapula & ebrietate grauentur corda eorum, & vt sensus officium Deo exhibens vigeat semper tenuisque sit.

Prudentē. Excludit eos qui sub nomine simplicitatis excusant stulticiam sacerdotum. Ni si enim cerebrum, sanum fuerit, omnia membra in vitio erunt. At in epistola 2. ad Titum scribens, mauult Græcam vocem, σωφρονα, interpretari castum, siue pudicum. Erasmus vertit sobrium. Aristoteles in Ethicis temperantem vocat.

Ornatum. Epicasis (siue exaggeratio) est, inquit Hieronymus ad Oceanum, prioris verbi irreprehensibilis. Qui virtutia non habet, irreprehensibilis appellatur: Qui virtutibus pollet, ornatus

Luit. ro.
Luc. 21.

K 4 natus

IN I. AD TIMOTHEVM

natus est. Possumus & aliud ex hoc verbo intelligere, iuxta illud Tullij: Caput est artis dicere quod facias. Sunt enim quidam ignorantes mensuram suam & tantæ stoliditatis atq; recordia, vt & in motu, & in incessu, & in habitu & in sermone communi, risum spectantibus præbeant: & quasi intelligentes quid sit ornatuſ comunit se vestibus & munditijs corporis, lautioris mensæ epulas parant, cum omnis istiusmodi ornatus & cultus sordibus scđior sit. Dupliciter igitur studiū intelligi potest, Primo vt sit idem quod virtutibus pollēs. Secundò, quod cōpositus in sermone, habitu, & cæteris externis, siue bene moratus: Vnde Erasmus vertit modestū. Pudicū. Id Græcus textus nunc non habet, & fortè est alia interpretatio dictionis σωφρονα.

Hospitalēm. Hospitalitas misericordiæ opus est, cætera misericordiæ opera includens. Nec putadus est ille episcopus hospitalis qui mensam suam instruit, & diuitibus, & potentibus, aut fortè ebriosis & morionibus, ac nouarum rerum nūcijs exponit. Sed qui seruos Dei spirititalia seminantes souer: qui egentes & peregrinos excipit. Episcopi domus (ait Hieronymus) omnium cōmune debet esse hospitium. Laicus vnum aut duos aut paucos recipiens implebit hospitalitatis officiū. Episcopus, nisi omnes receperit, inhumanus est. Sed huius virtutis

In cap. I.
ad Titū.

C A P V T I I I .

69

virtutis vix umbra iam superest, occupatiibus mensas prælatorum non egentibus, sed locupletibus.

Doctorem, aptum ad docendum, qui docere possit: Id episcopo proprium est. Non rabulam requirit, sed idoneum ad docēdum populum. Quod doctrina à sacerdotibus experenda sit etiam veteris præcepta sunt legis, & ad Titum plenius scribitur. Nā si Episcopi sancta sit vita, sibi potest prodesse sic viuens. Porrò si & doctrina & sermone fuerit eruditus, potest se ceteroſque instruere, Et non solum instruere ac docere suos, sed & aduersarios referire. Hieronymus cōtra Pelagium lib. I. Qui docere possit cum ceteris virtutibus, difficulter inuenies.

Non vinolentum. Ambrosij interpres vertit, non obnoxii vino: Multa vini potatio etiam citra temulentiam vim mentis laxat, & vigorei iudicij tollit, et si iudicium non adimat.

Atq; vt ait Hieronymus: Venter mero cœtuās, Tomo 2. citò despumat in libidines. Græci, Chrysostomus, Theophilactus, & Oecumenius dicunt ad Oceanum. Paulum hoc loco nō ebriosum vel mero mandentem significare, verum contumeliosum & elatum, & temerarium, atq; præfractum. Putant fortè Apostolum nomine causæ effectum designasse.

Non percussorem. Hieron. in epistolam ad Titum refert ad acerbitatē linguæ, vt episcopus nemini-

nemini maledicat, nec sit saeuus & improbus obiurgator, ne cōtumeliosus & garrulus perdat eum, quē potuit modestia & lenitate corrigerē. Sic Hieremia 18. dicitur: Venite percūtiāmus eum lingua. Coniūcta autem sunt vinolentia & percussio linguae, sicut & Christus dicit Matth. 24. Cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis. Græci interpretantur percussorem qui scandalosa vita conscientias infirmorum fratrū percutit.

Non turpis lucri cupidum. qui ignoret nouas augendi lucri rationes, practicas accumulandi diuitias : qui nesciat adulationibus ditescere. Græci nō videntur hoc loco legisse, turpis lucri cupidum. Nec Hieronymus in epistola ad Oceanum. At in lib. 1. contra Pelagium legit: sed nec Ambrosius legit.

Sed modestum. Græcè est, ἔχον, humanum, mansuetum: vnde dicitur επιεικεία. Opponit autem istud vinolentię: Et secundum Græcos, vinolentum interpretantes contumeliosum, manifesta est oppositio. *Non litigiosum.* Græcè est, alienum à pugna, ἔμαχος, hoc opponitur percussori. Hieronymus verrit, absque iurgio.

Lib. 1 cōtra Pe- tra Pel- gium. *Non cupidū.* Græcè est vna dictio ἀφιλάργυρος, id est, alienum ab amore argenti. Hieronymus vertit sine auaritia. Opponitur quod dixerat, Turpis lucri cupidū. Annotat Theophilactus hoc

hoc adiectum ne hospitalitatis exercendæ occasione thesauros congreget.

Sed sua domui benè præpositum, id est, domum suam benè regentem. Hieronymus, Non vt opes augeat: non vt regias paret epulas: non vt cælatas patinas struat, etc. Sed vt quod populo præcepturus est, prius à domesticis exigit. Vt cum Propheta dicat: Ambulans in via Psal. 100. immaculata hic mihi ministrabat: Non habitabit in medio domus mea, qui facit superbiā. Hinc Hieronymus in epistola ad Nepotianū episcopo dicit: Tales habent socios, quorū contubernio non infameris. Silector, si acolytus, si psaltes te sequitur, nō ornētur veste, sed moribus. Nec calamistro crispenit comas, sed pudicitiam habitu polliceantur. Hinc & in Carthaginensi concilio 3. cano. 18. Placuit, vt episcopi, presbyteri, & diaconi non ordinentur, priusquam omnes qui sunt in domo eorum Christianos Catholicos fecerint.

Filios habentem subditos cum omni castitate. Sic ad Titum dicit: Filios habens fideles, nō in accusatione luxuriæ, aut nō subditos. Castitatem Theophilactus interpretatur grauitatem, quæ verbis, gestu, & operibus, ipsis præfertur: in omnēisque & quoquis tempore adhibetur. Erasmus vertit reuerētiā. Pulchrè Hieronymus: Qua libertate, ait, possumus alienos filios corripere & docere quę recta sunt, cum nobis statim

IN I. AD TIMOTHEVM

tim possit qui fuerit correptus ingerere : ante doce filios tuos: aut, qua fronte extranei corripis fornicantem, quum mihi cōscientia mea ipsa respondeat: Exhæreda ergo filium fornicantem; abijce filios tuos vitijs seruientes. Ex hoc patet non omnem episcopum statim reliquis esse meliorē. David, Samuel, & Isaac abiecti fuissent propter filios, quia et si filiorū vitijs non polluerētur, libertatem tamen populi totius corripiendi non habuerunt. Qui domui suæ vbi quotidie præsens est rectè præesse nequit, quomodo totam Ecclesiam benè gubernabit cutabítq; in qua tam diuersorum ingeniorum & morum sunt homines: In qua & plura & maiora sunt negotia? Vulgo dici solet eos qui Rempub. gubernant, negligentes esse in curandis liberis suis. Contingit hoc interdum in quibusdam externis & seculi huius rebus. Sed quisquis ex amore virtutis & Christiana prudentia Rempub. gubernat, vtique & sedulam impendit prolibus ac familiæ curā. Ordinata est enim charitas: Nam qui suorum & maximè domesticorū curam non habet, est infideli deterior. Contingit tamen familiæ malitia patrisfamilias fidem ac industriam quam ei impendit non elucidere.

Non Neophitum. Non recens natum vel infirmum. Non senectutē requirit, cum adolescentes Titum & Timotheum præfecerit, sed re-

center

Cant. i.

C A P V T III.

71

center baptizatum reiicit, quales tunc multi erant. Turpe est enim, heri cathecumenus, hodie Pōtīfex: heri in amphiteatro, hodie in Ecclesia: Vespere in circo, mane in altari: dudu-fautor histrionum, nunc virginum consecrator. Pulchrè Hieronymus lib. i. aduersus Pelagium. Si baptismū statim iustum faceret & omni plenum iustitia, nequaquam vtique Apostolus Neophitum refutaret, sed baptismus vetera peccata conscidit: nouas virtutes (scilicet perfectas) non tribuit: dimitit è carcere, & dimisso, si laborauerit, præmia pollicetur. Vide August. lib. 14. de Trinitate cap. 17. & libro 2. de pec. mer. & remis. cap. 27. dicentem baptismū nō statim tribuere perfectam virtutem. Imbēx hoc Apostoli præcepto & eo quod sequitur de diaconis, & hi probētur, etc. statutum est: Laicus non fiat diaconus, presbyter, episcopus, nisi prius inferioribus ordinibus seruierit. Huius vmbra seruatur, quia nemo ordinatur in sacris nisi prius ordines inferiores accipiat. Sed ministeria ordinum causa etiam à non ordinatis supplentur, ab ordinatis negliguntur. Vide Leonē epist. 87. ad Africanos c. 1. Itē Syricū epist. 1. c. 10. Et epist. 2. ca. 3. Et Caij Pōtificis epist. Assignat Apostolus rationē, *Ne in superbiā elatus, in iudiciū incidat dia-boli.* Ignorat, inquit Hierony. ad Oceanū, mo-mentaneus sacerdos humilitatem & mansue-tudi-

Hier. To.
2. episto.
ad Ocea-
num.

IN I. AD TIMOTHEVM
tudinem rusticorum: ignorat blanditias Christianas: nescit seipsum contemnere: de dignitate transfertur ad dignitatem: non ieunauit: non fletuit: non mores suos sàpè reprehendit, & assidua meditatione correxit: non substantiam erogavit: de cathèdra quodammodo ducitur ad cathedram, id est, de superbia ad superbiam. Ambrosius quoquè Neophitus, ait, videns primo anno nativitatis collatum in se honorem, putat nò magis ad suum, sed ad alienum profectum se vocatū: quasi beneficium religioni magis det, quam accipiat ab ea. Et Haymo, Ne dicat Neophitus, Indigebat ecclesia mea sapientia vel meo auxilio, ideo me ad fidem adduxit & super se constituit. Rursus Hieronymus ad Oceanum: incidunt in arrogantiā qui in puncto horæ necdum discipuli, iam magistri sunt. Cum autem Neophitus (quod tamen rarius sit) ad perfectam humilitatem peruerterit, & ante baptismum perfectę conuersationis atque fide se esse ostéderit, hoc precepto non prohibetur ordinari. Neq; enim aliud hic præscribit Apostolus, quam quod lex natura habet, nempe vt cui superbia ex imperfectione metuitur surreptura, ne ordinetur, id quod regulariter Neophitis euenire solet: Quemadmodum & in cuiuslibet artis professione magis se effert ac iactitat iam nuper factus discipulus, quam summus artifex, omnes suæ

C A P V T III. 72
nes suæ artis difficultates exploratas habens, nec ignarus quid adhuc in ipso desideretur. Alioqui Ambrosius 8. à baptismate suo die, Paulino teste, est ordinatus. Vnde ipse in epistola ad Vercellenses, quæ est numero 82. sic defit. Ordinationem meam occidentales episcopi iudicio, orientales etiam exéplo probârunt: Et tamen Neophitus prohibetur ordinari ne extollatur superbia. Si dilatio ordinationi deficit, vis cogentis est si non deest humilitas competens sacerdotio. Vbi causa non hæret, vitium non imputatur. Vnde Chrysostomus cum Theophilacto & Oecumenio intelligunt nouiter ad fidem conuersum atque recenter instructum. Non minus vrgétes instructionem quam sacramentū baptismi. Ambrosius autem adhuc cathecumenus videtur bene suis institutus & valde humili. In iudicium incidat diaboli, id est, in eandem damnationem, in quam diabolus incidit per arrogantiā. Sic Chrysostomus cum Theophilacto & Oecumenio. Et Hieronymus, Iudiciū, ait, & ruinā diaboli, nulli dubiū est quin arrogantiā sit. Commentarius Ambrosij aliter intelligit dicens, Ne incurrat in laqueum diaboli: Inuenta enim occasione superbiæ illius Sathanas præcipitat eum. Erasmus vertit calumnioris, vt possit & ad hominem referri, non ad spiritum immundum. Sed veterum expositio placet

placer: quā & Hilarius habet in illud Psal. 118.
Increpasti superbos.

Oportet autem illum testimonium bonum habere. Præter reliqua debet ab ijs qui sunt extra Ecclesiam, nempe gentibus, hereticis, & scismatis habere bonum testimonium, scilicet inculpatæ vita, nam ipsi Catholicū episcopum pro seductore habent. At qua ratione dicat Apostolus per infamiam & bonam famam explicat, dum subditur, ut seductores, & hæc erat infamia. Cæterum nullus vñquam Apostolis fornicationis, aut impudicitiae, aut avaritie crimen obiecit, sicut ait Chrysostomus hoc loco.

Vt non in opprobrium, &c. Hoc videtur commētarius Ambrosij & Petrus Lombardus ad totum quod præcessit referre. quasi diceret Apostolus. Hæc omnia habeat episcopus, ne apud fideles vel infideles probris afficiatur & cōtemnatur. Si timorem Dei (ait Ambrosius) ante oculos non habuerit episcopus, temporī magis se commēdans, hunc quasi infidelem & pseudoprophetam deserit Deus, & deformis videbitur omnibus & maculosus, quia aliter facit quam prædicat: verbis suis seipsum accusans, quia gregi deputatus est Sathanæ. quasi diceret; Ne incidat in opprobrium, quod ipse sit à diabolo illaqueatus. Græci melius referunt ad proximè præcedens. Huiusmodi apud infideles male audiens increpabitur atq; ita prædicatio

dicatio impedietur. Sic Theophilactus. *Et laqueum diaboli.* Infamem enim gentiles aut occident, aut cogent ad Christum abnegandum, & vtrunque hoc multos scandalizabit: atque ideo vocatur ipse episcopus illaqueatio démonum, qua alios illaqueant: Sic & Pelagius hereticus: vt nō vituperetur, inquit, ministerium nostrum, & per illud diabolus multos in laqueum teneat, qui fieri poterant Christiani. Oecumenius de episcopo intelligit, ne probra sustineat, & sic incidat in laqueum, quo eū diabolus illaqueat, nempe iram, memoriā iniuriarum. Ambrosius libro de dignitate sacerdoti cap. 4. hæc verba exponens, sic dicit: Ne forte accipiāt inimici locum episcopo obtrectādi, & infamare incipiāt catholicum dogma. Hæc Ambrosius. Theophilactus & Ambrosius, & Pelagius videntur intelligere, ne episcopus incidat in probrum & laqueum, id est, ne ipse episcopus fiat probro Ecclesiæ & doctrinæ: & laqueus per quem diabolus multos illaqueat. Sicut dicitur de Iudeis: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueū, & Christus Iudeis factus in ruinam: qui sensus maximè placet. Atq; ita locus hic similis est illi qui infrā de seruis habetur: Ne nomen domini & doctrina blasphemetur. Multum autem blasphematur doctrina, cum quis malæ famæ ad eam defendēdam & prædicandam constituitur; tunc & tota Ecclesiæ

L. Ecclesiæ

IN I. AD TIMOTHEVM

clesia probro afficitur, infirmi à fide deficiunt,
& infideles à fide auertuntur. Laqueus autem
diaboli eos præcipue, qui infideles sunt com-
præhedit, iuxta illud ad Timotheum 2. de ve-
ritati resistentibus: Ne quando resipiscat à dia-
boli laqueis. Et ad Ephes. 2. dicit Apost. diabo-
lum operari in filijs diffidentiæ. Qua de re vi-
de epistolâ Augustini ad Vitalem 107. vt enim

Vide Au-
gust. epi-
stola 76. vulgares dicunt: Malus choraula, bonus sym-
phoniacus est. Et vt Cicero, inquit, Qui cytha-
rœdi esse non possunt, aulædifiunt. Ita dicent
Gentiles & hæretici: Infamis apud nos, mag-
nus & præcipuus est apud Christianos. Cur
non (ait Chrysostomus) oportet episcopū an-
gelū esse nulli humanæ perturbationi vitiōve
subiectum? Cur non item magna Christi illa
præcepta ab episcopo requirit, quæ etiam sub-
ditis necessaria esse debent, scilicet circumfer-
re curam suam atque in manibus habere ani-
mam semper pro fratribus exponendam? Ce-
terum his omnibus omissis, oportet (ait) non
esse vinolérum, quia per paucos huiusmodi in-
uenire fas erat. Episcopis autem plurimis tūc
opus fuit, qui per singulas ciuitates magistri
constituerentur. Ne igitur Ecclesiæ negotia
fructuſque perirét, idcirco moderatam virtu-
tem proposuit inquirendam, non supremam
illam atque cœlestem. Ex hoc Chrysost. com-
mentario respondetur ijs qui legem Ecclesiæ
calum-

Cap. 2.

C A P V T I I I .

74

calumniantur, dicentes: Si expediret exigere
cœlibatum, & Paulus exegisset; nam tūc non
potuissent facile continentis inueniri, qui ido-
nei essent regimini. Similq; discimus nostram
imperfectionē, qui valde putamus perfectum
eum qui virtutes ab Apostolo præscriptas há-
bet. Sed cur Apostolus non meminit admini-
strationis sacramentorum? quia hoc tanquam
minimū: & facile intelligitur in doctrina sub
qua correptio & admonitio comprehendun-
tur. Non enim, vt vulgus hominum putat, cu-
ra pastoralis in hoc tota consistit, vt quis ma-
ioribus festis sacraménum absolutionis & Eu-
charistiæ subditis impendat, ac infirmis quo-
ties opus fuerit, parvulos baptizet, defunctos
sepeliat, pro eis sacrificet, & coniugibus bene-
dicat: sed præcipue in prædicatione doctrinæ
catholicae & publicis ac priuatis exhortationi-
bus, pijs etiam crebrisq; pro grege commisso
precationibus. Videatur liber Pastoralis Gre-
gorij, quem omnes pastores memoria tenere
meritò debeat. Similiter liber Bernardi de cō-
sideratione ad Eugenium, vt erubescere co-
gantur qui officio suo satisfactū probè putant,
si Missas celebrēt, & nemo subditorum sine sa-
cramentis hinc emigret. His rectè perpenſis
facile apparebit quam sit necessaria pastorum
residentia.

Diacenos. Cur omisso ordine presbyterorum

L. 2 transit

IN I. AD TIMOTHEVM

transit statim ab episcopo ad diaconos? Ad id facile responderit hereticus quispiam, inter episcopum & presbyterum nihil interesse, vti & Aërius sensit. Pighius autem, nomine episcopi olim & simplicem sacerdotem & episcopum significatum. Sed melius Chrysostomus, Cur, inquit, omisso presbyterorum ordine ad diaconos transit? quia scilicet inter episcopum & presbyterum interesse fermè nihil: quippe & presbyteris ecclesia cura permissa est, & quæ de episcopis dixit eriam presbyteris congruunt. Sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atq; hoc tantum plusquam presbyteri habere videtur. Eadem habet Theophilactus & Commentarius Ambrosij. Secundum hos igitur nomen Episcopi apud Paulum significat tatum primam in ecclesia præfeturam, non vulgarem sacerdotem, quomodo nunc usurpamus. Quæ significatio non est tam ex vi vocis (quæ alioqui quemuis superintendentem significat) quæ ex vsu scholæ Christianæ. Sicut & nomen diaconi ex se quœvis ministrum signat, vsu Christianorum certum in ecclesia ministrorū genus. Sic usurpat nomen episcopi Ignatius in epistola ad Smyrnenses. Omnes episcopum sequimini, sicut Christus Iesus patrem, presbyteros sicut Apostolos: diaconos veneramini sicut Dei mandato ministrantes. Et infra, Ego autem dico,

C A P V T I I I.

75

dico, Honorate quidem Deum vt authorem omnium & dominum, episcopum autem tanquam principem, sacerdotem imaginem Dei ferentem, principatum quidem secundū Deū, sacerdotium verò secundum Christū; vbi principatum vocat legislatiūam potestatē. Imò D. Hieronymus ad Euagrium sentit nomen episcopi ab Ecclesia primitiua tantum tributum eis quibus nunc tribuitur. Alexádriæ (inquit) à Marco Euangelista vsq; ad Heracleam & Dionysium episcopos presbyteri semper vnum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant; quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconi elegant de se quem industrium nouerint & archidiaconum vocent. Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? Et infra ostendens ex diuino iure per Apostolos differentiam episcopi à presbytero, & vt sciamus, inquit, traditiones apostolicas sumptas de veteri testamento. Quod Aaron & filii eius atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc sibi episcopi, & presbyteri, & diaconi vendicent in Ecclesia. Sed obijcitur: Apostolus scribit multis episcopis Philippis, hoc est, interprete Chrysostomo presbyteris: nam in vna ciuitate non erant multi, quales nunc vocabamus, episcopi. Igitur olim vocabantur simplices sacerdotes episcopi. Et Hieronymus in

L 3 episto-

IN I. AD TIMOTHEVM

epistola ad Euagrium dicit, Apostolum per spiculè docere eosdem esse presbyteros, quos episcopos. Respondendum est Apostolum in loco citato accepisse nomine episcopi pro rectore, prout ex vi vocis significat, sicut dicit Hieronymus epistola citata, Petrum presbyteros vocasse episcopos, dum dicit prouidentes non coacte. Vbi Græcè est ἡ πιστοπούντες. Et videtur accipi in sua primitiua significatione, vt id significet quod apud prophanos authores.

Vnde Chrysostomus in primū caput ad Philippenses dicit in primitiua Ecclesia episcopum & presbyterum nominibus subinde communicasse: Episcopum etiam olim vocatum diaconum.

Et citat illud Pauli ad Timotheum, Ministerium tuum imple. Sed progressu temporis Ecclesia vñu voces istæ ad eam quā iam habent significationem restrictæ sunt. Vnde idem dicit, Cæterum cuiq; seorsum suum datur est nomen & presbytero scilicet & episcopo. Aut si Apostolus respexit etiā ad significationē scholæ Christianæ, presbyteros deflexione quadā episcopos vocavit, qā nimirū in primitiua Ecclesia simul cū episcopo populi regimē apud eos erat, & in eo episcopis pares erāt, vt testatur Hierony. in epistola ad Euagrium, & in epistolam ad Titum. Antequam inquir, diaboli instinctu studia in religione fierent cōmuni presbyterorum concilio Ecclesiæ gubernab-

a. Tim. 4

a. Pet. 5.

C A P V T IIII. 76

bernabantur, postquam verò vñusquisq; eos quos baptizauerat suos esse putabat nō Christi, in toto orbe decretum est, vt vñus de presbyteris electis superponetur cæteris, ad quē omnis Ecclesiæ cura pertineret & schismatum semina tollerentur. Et probat ex epistola ad Philippenses, ex cap. 2. Actuum, ex cap. 5. prioris Petri, ex epistola ad Hebreos cap. 13. Vbi præcipitur vt pluribus præpositis obediāt: licet ibi responderi possit, quod plures etant Hebreorum Ecclesiæ, Sicut ergo (inquit) presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ cōsuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos, ita episcopi nouerint se magis cōsuetudine quam dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in communī debere Ecclesiam regere, imitantes Mosen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israël, Septuaginta elegit cum quibus populum iudicaret. Certè D. August. epist. 14.8. ad Valerium dicit sibi secundum locum gubernaculorum traditum, cum presbyter est ordinatus. Ignatius ad Trallianos. Quid est, inquit, episcopus, nisi omnem principatum & potestatem omnium illorum tenens, quemadmodū decet tenere hominem imitatorem Dei factum secundum veritatem. Quid est presbyterū nisi institutio sancta cōfiliarij & confessoris episcopi? Quid etiam diaconi, nisi imitatores Christi ministrantes epis-

L 4 copo

IN I. AD TIMOTHEVM

copo sicut Christus patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam. Quomodo S. Stephanus beatissimo Iacobo, & Timotheus, & Linus Paulo, Anacletus, & Clemens Petro? Et epistola ad Magnesianos: Asider episcopus in loco Dei & presbyteri in loco cōfistorij Apostolorum, & diaconi dulcissimi, quibus cōcredidit ministerium Iesu Christi. Vulgares autem sacerdotes qui pastores non sunt, non videntur à Paulo etiam epistola ad Philippenses vocati episcopi. Imò in propriè dicta & apud prophanos scriptores vñitata vocis significatione, nec suffraganei, quales sunt hodie curam populi nō habentes, episcopi vocandi sunt. Qui hinc orti videntur quod olim episcopi interdum ordinarentur in hoc, vt infideles conuerterent, quos postea conuertere non potuerunt. De qualibus agens August. libro de bono coniugali cap. 24. Si fiat, inquit, ordinatio cleri ad plebem congregandā, etiam si plebis congregatio non subsequatur, manet in illis ordinatis sacramentum ordinationis.

Sed iam de diaconis agamus. Diaconi nomen generale est, sed usurpatione Christianorum speciale factum, & eleemosynarū distributiones in actis habuisse legitur. Quanquam Oecumenius in 6. cap. Actuum scribēs, putet illos septem nō fuisse diaconos iuxta gradum qui nunc est in Ecclesia. Contra putat Beda &

Cypria-

C A P V T I I I.

77

Cyprianus epist. 9. libri 3. & Ignatius ad Trallianos. Et concilium Neocæsariense cap. vlt. Nam quod ministri fuerint etiam in Eucharistia, satis ex veteribus liquet. Ignatij verba quædam, epistola ad Trallianos recitata sunt, & in eadem dicit. Oportet diaconos qui sunt in ministerium Iesu Christi omni modo placere. nō enim in cibo & potu sunt ministri, sed ministerij Ecclesiæ Dei. Oportet ergo præcepita eorum obseruare sicut ignem ardētem. Ipsí verò sint tales: Vos autē reuereamini eos tanquam dominum Iesum Christum, quoniam cunctodes sunt loci eius, sicut episcopus forma est patris omnium: presbyteri verò sicut confessus Dei & cōiunctio Apostolorum Christi. Sine ipsis enim Ecclesia electa non est, neque collectio sanctorum, neq; congregatio sancta. Ut autem rectius intelligatur officium diaconi, & locus Actorum, notandum quod in primitiua Ecclesia fideles eleemosynas largissimas faciebant, sed offerebant eas ad altare iam communicaturi, vti nunc in Missa offerimus æreos aliquot, quod est vetustæ consuetudinis vestigium quoddam. Erat hoc ex veteri lege sumptum, vbi decimæ etiā pauperibus, dandas Deo offerebantur, sicut & primitiæ, vt videre est Deutero. 12. 14. & 26. Vnde & Paulus per vnam sabbathi, hoc est, dominico die, iubet se- 1. Cor. 16. ponit eleemosynas, quia tunc communicare & mune-

IN I. AD TIMOTHEVM

munera Deo offerre moris erat. Sic Prudens
tius in vita Laurentij de eo dicit.

*Hic primus è septem est viris,
Qui stant ad aram proximi
Lenita sublimis gradu.
Et ceteris præstantior,
Claustris sacrorum præerat,
Cœlestis arcana domus
Fidis gubernans clauibus,
Votisque dispensans opes.*

Et Deciū sic ad Laurētiū loquentē inducit.

*Hunc esse vestris orgys,
Morēmque & artem proditum est.
Hanc disciplinam fæderis,
Libent, vt auro antistites,
Argenteis scyphis ferunt,
Fumare sacrum sanguinem,
Aurōque nocturnis sacris
Astarte fixos cereos,
Tunc summa cura est fratribus,
Vt sermo testatur loquax,
Offerre fundis venditis
Sestertiorum milia,
Addicta auorum prædia
Fædis sub actionibus,
Successor exhares gemit
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiayrum in angulis,*

Et sum-

C A P V T I I I.

78

*Et summa pietas creditur,
Nudare dulces liberos.*

De his quoque oblationibus quomodo dis-
pensandæ sint eo quod Deo oblatæ sint, tractat
Urbanus i. in epistola sua, quæ extat concilio-
rum Tomo primo, vbi ait has oblationes in di-
tione episcoporum qui locum tenet Aposto-
lorum fuisse: ex quibus necessaria ministrabat
omnibus communem vitam degéribus. Hinc
& August. episcopus Anglorum inter reliquas
quaestiones primam proponit, S. Gregorio, de
his quæ ex fidelium oblationibus accedunt al-
tari, quantæ debeant fieri portiones. Cum igit-
etur tantum consideratur quod diaconi consti-
tuti sunt ab Apostolis, vt viduis & in cōmune
viuentibus, ex eleemosynis quas fideles affe-
rebant prospicerent, non appareat quod aliud
sint quam nunc sunt, qui vulgo vocantur ma-
gistrī mēsa sancti Spiritus. Sed si quod res est,
expendamus has fidelium oblationes sacrificij
tempore ante communionē Deo oblatas fui-
se, facile intelligimus primum eas recipi de-
buisse à sacerdote sacrificante, & communio-
nem populo administrante: deinde quoniam
Apostoli crescēte fidelium numero tam mul-
tis communicandis & eorum oblationibus re-
cipiendis, distribuendisque nō sufficiebant, or-
dinasse sibi ministros ex parte sacerdotij con-
fortes, qui & eis in sacrificio assisterent, & vice
eorum

IN I. AD TIMOTHEVM

eorum fidelium oblationes susciperet, vt inde Deo sacrificaretur, & fidelibus communio porrigeretur. Vnde Isidorus in epistola ad Ludemfredum dicit diaconi esse, oblationes inferre & disponere in altari, vt recitat Gratianus distinctione 25.ca. perlectis. Et Fabianus epistola 1. dicit eos diebus dominicis & solenibus, maxime exercuisse ministeria, quemadmodum & Laurentius sibi dicit commissam consecrationem vel dispensationem dominici sanguinis, & consummandorum consortium sacramentorum, apud Ambros. lib. 1. officiorum cap. 41. Sicut igitur Leuita in veteri testamento non solum decimas recipiebant, sed in altari sacerdotibus ministrabant, & ideo decimae eis dabuntur: Ita diaconi, quia ministri erant altaris, ideo distributio oblationum apud eos erat. Rursus sicut episcopus non solum corpus Christi sacrificat, sed & docet populum, ita & diaconi est in doctrina etiam ei cooperari. Vnde Euaristus Papa (recensente etiam hoc Damaso epistola 1.) dicit tanquam ab Apostolis sibi traditum: Diaconi qui quasi oculi videntur esse episcopi in unaquaque ciuitate iuxta apostolorum constituta septem debent esse, qui custodiant episcopum prae dicantem: ne aut ipse ab infideliatoribus quoquo modo infestetur, aut laedatur a suis, aut verba diuina detrahendo aut insidiando polluantur vel despiciantur: sed veritas spirituali

C A P T I I I .

79

rituali redoleat feroore, & pax praedicata labijs animi cum voluntate concordet. Sic in epistola priori Clementis dicitur: diaconi ecclesie tanquam oculi sint episcopi oberrantes & circumfluentes cum verecundia actus totius Ecclesie, & perscrutantes diligentius, si quem videat vicinum fieri precipitio, & proximum esse peccato, vt referant haec ad Episcopum, & commoneri ab eo possit is qui in precipitium lapsurus est, vti reuocetur & non corruat in peccatum, sed & de peregrinis similiter episcopo suggestant refouendis & cetera his similia, que ad cultum Ecclesie & disciplinam eius pertinent, diaconis curae sint. Est igitur diaconi assistere episcopo, & sacrificanti, & praedicanti; & particularia considerare & externa pro arbitratu episcopi tractare, vt is ab orationis instantia assiduo verbi Dei ministerio non impediatur. Porro sicut nunc sunt quidam presbyteri solum sacrificantes non gubernates, ita & diaconi quidam sacrificio tantum assistentes, quidam autem ut archidiaconi totum eius ministerium adhuc referentes. Tempore Augustini magnum & arduum officium habebat diaconus qui nunc est archidiaconus, vt patet epistola 148. ad Valerium. Si quereras cur Paulus hoc loco non meminerit ministerij altaris: respondet quia facilius id erat, vt supra diximus, est enim cæmonia quædā: adhæc quia moris fuit

fuit Christianis antiquis ea quæ in mysterio Missæ agūtur occultare, sicut Dionysius Areopagita in libro de Ecclesiastica hierarchia obtestatur. Timotheum ne ritus sacramentales efferat in publicum: vnde excludebatur olim à mysterijs Missæ etiā cathecumeni. Vide August. tract. 11. in Ioan. & 96. Nesciunt cathecumeni quid accipiūt Christiani. Vide Basiliū lib. de Spiritu sancto cap. 27. Et Ambrosiū in principio libri de his qui mysterijs initiantur. Quo cōcilio etiam Lucas in Actis narrat qua occasione septem sunt diaconi creati. Et illud officium describit, quod etiam infideles poterant videre, nēpe dare viduis necessaria. Ipsum autem altaris ministerij taceret, vt & cōmunionem panis vocat fractionē: Qua voce vtiq; nihil mysteriorum prodit infidelibus. Vocatur autem hic ordo meritō diaconorum siue ministrorum, quia sicut Epiphanius dicit in hæresi 79. quæ est Collyridianorum diaconis Ecclesia non est concretiū vt aliquod mysterium perficiant, sed solum vt administrent & exequantur commissa.

Similiter pudicos, similiter oportet esse sicut episcopos, pudicos, id est, bene cōpositos, graves, constātes, præ se ferentes Christianam yitam, Non bilingues, Non duplices in sermone. Chrysostomus interpretatur, nō simulators, non dolosos. Nihil enim (vt ait) fermè nos ita dege-

degenerare à spirituali nobilitate facit, vt fraus atque dolus, nihilque in Ecclesia nocet magis, quā versuta simulatio. Latinè bilingues etiam vocantur, qui aliud mente, aliud ore loquuntur. Non solum illi qui aliud huic, aliud alteri dicunt. Non multo vino deditos. Theophilactus, Non dixit, inquit, non temulentos siue ebrios, hoc enim omnino est indignum, verum non multum potantes. Etiam si enim non sint temulentī, potatio tamē multa anima mentisq; vim luxat. Non turpe lucrum settantes, non turpilucros. Auaritiam notat. Ambrosij commentatorius turpia lucra vocat, quando sub pia professione quæstibus studetur. *Habentes mysterium fidei.* Glossa interlinearis: Scíetes illud quod de fide alijs est occultū. Sic Lombardus & Thomas. At Theophilactus, Oecumenius & Haymo intelligūt totam fidem vel dogmata fidei, quæ omnia mysteria sunt, vt ad Romanos vlt. mysterij æternis téporibus taciti, & ad Ephesios 3. Sic & Pelagius hæreticus docens mysterium esse quod passio Christi redemptio sit salutis humanæ. *In pura conscientia.* Nam, Sincerum est nisi vas quocunq; infundis accessit. Exigit vt non solum fidem rectam, sed etiam opera bona habeant. Examinet studiosus Lector num mysterium fidei hic possit intelligi calix Eucharistia, quem solet diaconus porrigere, sicut constat ex sermone 5. de lapsis apud

Cypria-

IN I. AD TIMOTHEVM

Cyprianum, & Ambrosium lib. 1. officiorum cap. 4. Certè Areopagita in ecclesiastica Hierarchia, & Chrysostomus, & Cyrilus, Basilius, & Damascenus Eucharistiam vocat mysterium per anonomasiam. Certè forma consecrationis sanguinis vocat calicē mysterium fidei, & in Græcis articulus additur, to mysterion, quasi certū mysteriū signifetur. Ambrosius Catharinus sic locū hūc interpretatur, additq; se mirari neminem hoc aduertisse.

Et hi autem probentur primum. Etiam diaconi (inquit) non elegantur neophyti, sed diu probati. Ex sic cum inuenti fuerint, Nullum crimen habentes, id est, incriminabiles, inaccurabiles, de quibus nemo possit malè loqui, Ministrent, ordinati scilicet ab episcopo. Theophilactus ostendit illud nullum crimen habētes, siue potius inaccurabiles & irreprehēsibiles iungendum cum verbo probentur. Sic enim habet: Quemadmodum episcopū postulaui qui non esset neophytus, sic & hos nolo non probatos sanè produci atq; prouehi, cæterum tempore exploratos, ita ut irreprehēsibiles & inculpati sint visi, sicut recens empto seruo, non statim quisquam domus suæ curam cōmittet, priusquam tempore probatus videatur. Temporis processu periclitados hos dixerim, si noxa vacant & crimine, quemadmodū nec seruo quispiam qui nuper sit emptus, non antè domus gubernationem demandat, quam per aliquod tempus periculo factō probus appareat. Erasmus legit, Ministrent, sic ut nemo possit illos criminari. Iungit ergo illud irreprehēsibiles cum ministrent.

guber-

C A P V T I I I.

81

gubernationem demandat, quam per aliquod tempus periculo factō probus appareat. Erasmus legit, Ministrent, sic ut nemo possit illos criminari. Iungit ergo illud irreprehēsibiles cum ministrent.

Mulieres similiter pudicas. Id commentarius Ambrosio inscriptus, de omnibus generaliter intelligit, additq; mulieribus. Cataphrigæ, inquieti, erroris occasionem caprantes, propter quod post diaconos mulieres alloquitur, etiam ipsas diaconas ordinari debere vana præsumptione defendunt. His August. et Epiphanius tribuunt quod et mulieres habēt sacerdotium et episcopatum gerentes. Non igitur tempore Ambrosij mensarum tantum ministri diaconi erāt, nā et hoc mulieres facere possent. Chrysostomus reiicit hanc expositionem. Plerique (ait) volunt Apostolū hæc de mulieribus præcepisse, verum non est ita. Quid enim consequentia haberet inter ea quæ de episcopis ac diaconis monuit mulierū villam facere mentionem; Sed de his profectò, ait, quæ ministerij dignitate sunt prædictæ. Sic Theophilactus, Oecumenius, et Pelagius, de eis (inquit) dicunt, quas adhuc hodie in oriente diaconissas appellant. Epiphanius in hæresi 79. quæ est Colliridianorum. Ministrarum quidē diaconissarum appellatarum ordo est in Ecclesia, sed non ad sacrificandum, neque ut quicquā aggredi per-

M mittant.

mittantur. Verum reuerentię gratia muliebris generis, aut propter horam balnei, aut visita-
tionis, affectionis, aut laboris. Et quando nu-
datum fuerit corpus mulieris, vt ne à viris sa-
crificanribus cōspiciatur, sed à ministratē mu-
liere, cui p̄cipitur à sacerdote vt curam ge-
rat ad tempus indigentis mulieris, in tempore
denudationis corporis ipsius. Et infrā: Obser-
uandum est autem quod diaconis: solum in-
diguit ecclesiasticus ordo, viduásque eas no-
minauit, & ex his adhuc seniores, aniculas:
nusquam autem presbyteridas aut sacrificulas
constituit. Et in fine libri de his dicit. Et ipsæ
(diaconissæ scilicet) sint etiā quæ in vniis nup-
tijis continenter se habuerūt, aut ab vniis nup-
tijis viduitatem seruarint, aut semper virgines
sunt. De his concilium Chalcedonense cano-
ne 15. dicit quod ante 40. annum non est ordi-
nanda diaconissa, & anathematizatur, si nubat
cum eo cui nubit post suscep tam manus im-
positionem. Latini autem has diaconissas non
recepérunt vel statim aboleuerūt. Vnde Con-
cilium primum Arauficanum ca. 26. diaconæ
omnimodo non ordinandæ, si quæ iam sunt,
benedictioni quæ populo impenditur capita
submittant. Et in cōcilio Epaunensi ca. 21. vi-
duarum consecrationem, quas diaconissas ap-
pellant ab omni religione nostra penitus ab-
rogamus solam eis pœnitentiæ benedictionem
si con-

si conuerti ambiunt imponendo. Et in conci-
lio Aurelianensi: Fœminæ quæ benedictione*n*i
diaconatus hactenus contra interdicta cano-
num acceperint, si ad coniugium probantur
iterum deuolute, à communione pellantur.
Qyod si huiusmodi contubernium admonitæ
ab episcopo cognito errore dissoluerint in cō-
munionis gratiam acta pœnitentia reuertan-
tur. Et cap. 17. Placuit vt nulli postmodum fœ-
minæ diaconalis benedictio pro cōditionis hu-
ijs fragilitate credatur. Non fuerunt igitur
hæ mulieres pars cleri, sed ministerium tātum
quoddam externum habebāt, cuiusmodi ferē
nunc habent quæ hodie in xenodochijs aut si-
milibus locis infirmorum curam gerunt. Do-
cet id 19. canon synodi Nicenæ. Meminimus
autem de diaconissis quæ in eodem habitu vel
ordine esse probantur quod non habeant ma-
nuum impositionem. & ideò modis omnibus
eas inter laicas deputari. Talis diaconissa vide-
tur Phebe fuisse, de qua ad Romanos 16. Ignatius
in epistola ad Anthiocenses, Saluto custo-
des (inquit) sanctorum portarum diaconissas:

Melior est commētarius glossæ interlinea-
ris Lombardi, & Thomæ, atque Erasmi, qui
istud de vxoribus diaconorum intelligunt:
Qui enim vxorem suam regere nō potest, non
est idoneus, vt diaconus sit & administratio-
nem habeat.

IN I. AD TIMOTHEVM

Pudicas, modestas, non detrahētes, non calumniatrices: Grācē est, σιαγόλαous, sobrias, vigilantes & excitas. Fideles, fidas, in omnibus; tam fide quam vita, non sint furaces, nec adulteræ, nec hæreticæ.

Diacones sint vnus vxoris viri. Etiam in diacono vult significationē sacram esse. Nam Christus minister fuit Dei patris, cuius figurā etiā diaconus gerit, vt ait Ignatius, cuius verba paulò antè recitata sunt. Christus autem pro vnica sponsa seruuit Deo patri. Qui filijs suis bene præsent, &c. bonum gradum sibi acquirent. Chrysostomus: Qui in his quæ inferiora sunt diligentiam suam vigilantiamque mōstrauerint, facile ad ea quæ sunt superiora atq; excellenter peruenient. Sentire videtur Chrysostomus, quod diaconus bene ministrans ascendet ad sacerdotium, & post ad episcopatū. Sic Ambrosij commentar. Poterunt, inquit, digni fieri sacerdotio. Sic Glosa interlinearis, Lombardus & Thomas. Pelagius gradū bonum pro maiori interpretatur. Hic locus illi respōdet: Qui episcopatum desiderat, bonū opus desiderat. Alij malunt gradum pro profectu in spirituali pietate accipere.

Et multam fiduciam in fide, id est, vt habet Ambrosius in commentario sibi inscripto, Vt sciāt se impetrare posse quod postulant. Pelagius, multam fiduciam apud dominum petendi & apud

C A P V T I I I .

83

apud homines docēdi, vel etiam arguendi intelligit. In fide quæ est in Christo Iesu, per fidem in Christum. Sicut 2.ad Corinth.3.dicit, Fiduciā talem habemus per Christum ad Deum. Et ad Ephes.3. In quo habemus fiduciā & accessum in confidentia per fidem. Fides enim generat liberam inuocationem, sed tum demum, cum spe fuerit subnixa, quæ ex recta vita & bona conscientia oritur. Theophilactus, in fide, hoc est, in omnibus quæ sunt secundum fidem, & verbis, & operibus.

Hac tibi scribo fili Timothee, &c. Ne ex ijs quæ haec tenus scriperat Timotheus mōroris aliquid conciperet: Non idcirco, inquit, hac tibi scribo, quasi ad te venturus non sim, veniam enim protectō; cæterū si tardare contigerit, vt interim scias, quomodo oporteat, etc. Consule quæ annotauimus circa epistolæ principiū, vnde peras quomodo istud consonet cum eo quod in Actis dicitur Ephesios faciem eius Act 20. non amplius visuros.

Vt sciās quomodo oporteat te in domo Dei conuersari.. Explicat Apostolus scopū cur hæc scripsit, quæ est ecclēsia Dei viui. Vbi sunt, qui dicunt Ecclesiam int̄sibilem? Pulchrè in hūc locum Ambrosius, Ecclesia domus Dei est, cuius hodie rector est Damasus. Adducit hæc Paulus, vt magis sollicitus sit Timotheus digne conuersari & recte regere Ecclesiam. Si enim Ec-

M 3 clefia

clesia domus Dei est, valde reuereréter in ea est agédū. Et res est plena horroris. Alludit enim Apostolus ad cap. 28. Geneseos, vbi dicit Iacob paués. Quam terribilis est locus iste, verè non est hic aliud quā domus Dei. Vel potius, sicut Chrysostomus annotat & Theophilactus ad templum Iudaicum. Et quia Apostolus iam omisso sermone de vita recte instituenda reddit ad tractationem de doctrina & fide ac hæretibus fugiendis, subijcit, quod Ecclesia sit columna & firmamétum veritatis, innuens Timotheum magno cum studio veritatis intelligendæ & prædicandæ in Ecclesia versari debere. Porrò quia hic sermo metaphoricus est, varia translationis ratio reddi potest. Nam in primis, Stilus, instrumentum etiam significat, quo scribimus. Qua significatione Ecclesia stilus veritatis dici potest, quia per eam scribit Deus in cordibus hominum legēm suā, quomodo Apostolus dicit Corinthios epistolā esse à se ministratam. Et Psalmista: Lingua mea clamus scribę velociter scribētis, sive stilus scribę velocis. De quo vide Hierony. in Psal. 44. in 3. Tom. Adhac allusio esse potest ad columnam nubis & ignis, qua dominus dux erat populi Israël, sicut nunc ducit elec̄tos suos per Ecclesiam. Verum commentarij ferè omnes magis ad columnam qualis ædificio supponuntur, referunt. Et hoc magis designat quod sequitur,

2. Cor. 3.
Psal. 44.

quitur, firmamétum, sive fixa & stabilis sedes. Item quod præcessit, domus Dei. Rursus quia & hæc metaphorica sunt, & multa in eis attēdi possunt, vnde oriatur commentatorū varietas, primo aduertendum in columna & firmamento apud omnes designari stabilitatem quam præstat his qui eis innituntur, ut sit sensus; Columna stabiliens & fundamentum firmans. Poteſt etiā intelligi columna stabilita & sedes firmata. Priorem igitur modū habent commentatores quos subijciā. In primis Pelagius, Ecclesia, inquit, est colūna & firmamentum veritatis, in qua sola stat veritas firmata: quæ sola sustinet ædificium. Deinde Ambrosius actiuè intelligens dicit, Firmamentū veritatis huius signa esse & prodigia: Vbi vult Ecclesiam cōfirmare veritatem per virtutem miraculorum, quā ex Spiritu sancto accepit. Sic Glossa, Lombardus & Thomas: Columna (inquiunt) veritatis, quia in se bene sustinet veritatem ne corruat: & firmamentū, hoc est, fulcimentum iam nutantibus. Queras foras quomodo Ecclesia firmat veritatem & sustinet, cum ipsa potius per verā doctrinam contineatur. Pulchrè id explicat Beda in ca. 9. Proverb. tractans illud, Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Ecclesiæ (inquit) per orbem septiformi gratia spiritus erexit, quæ domū eius, id est, mysterium

M 4 incar-

incarnationis eius; ne perfidorum improbitate memoria tollatur, credendo, colendo, & prædicando, quasi sustentando continerent. Dicitur igitur Ecclesia firmare veritatem, quia veram doctrinam in cordibus hominum firmat, cum ipsa tamen per veram doctrinam à Deo fieretur. Vnde Chrysostomus videtur vtrūq; hoc loco intelligere, quod Ecclesia dicatur columna veritatis & firmamētum: quia & à veritate vel à Deo per veritatem ipsa firmatur, et fortis atque invicta efficitur, ut per eandē veritatem alios sustentet firmētq;. Sicut Christianus populus & Dei filius est, dices ei, pater noster: & sponsa Dei est, & vxor paries ei singulos fideles: quēadmodum & Christus dicitur sol iustitiae, petra iustitiae. Item Deus dicitur Deus veritatis, quia & ipse iustus est & nos iustificās, & ipse veritas est, & veritatem suam in nobis complens. Certè in Psalm. 74. vtrūq; tā actiuā quām passiuā confirmatio in columnis significatur, dum dicit: Ego confirmavi columnas eius. Et in Apocalyp. cum dicit Christus: Faciam illum columnam in templo Dei mei & fores non egredietur, amplius: nomine columnæ significatur stabilitas à Christo accepta, qua columnæ in se est stabilis. Sic igitur Chrysostomus: Ecclesia fidem cōtinet & prædicationē, quippe veritas Ecclesiae, & columnæ & firmamētum est. Et post subdit: Columna est

Psal. 74.
Apoc. 3.

na est orbis ecclesia. Similiter Arethas in ca. 3. Apocalysis: Qui vicerit aduersarias potestates columnæ & firmamentum veritatis constituitur: & ipse firmiter & immutabiliter gaudens & alios fulcens, ne in bono excidant à sua sede. Passiuā significationem habet commentator in 26. cap. Iob, qui ponitur inter Hieronymi opera, cuius author Beda esse videtur. Ecclesia (inquit) quā sanctorum omnium est congregatio, pro æterna sibi in domino stabilitate columnæ & fundamentum dicitur veritatis. Sic Irenaeus lib. 3. cap. 11. & eod. lib. cap. 3. Similiter Chrysost. loquitur, dicens: Columna & fundamentum ecclesiae est euangelium & spiritus vitæ. Et Theodoretus in hunc locum: Domum, inquit, Dei & Ecclesiam appellavit cœtum eorum qui crediderunt, eos dixit columnam & firmamētum veritatis. Supra petram enim fundati stabiles & immobiles permanent, & rebus ipsis prædicant dogmatum veritatem. Conformiter huic loco Apostoli Irenaeus li. 3. c. 4. Tanta, inquit, ostensions (ecclesiae) cū sint hec, nō oportet apud alios quārere veritatē, quā facile est ab ecclesia sumere, cum apostoli quasi in depositorum diues plenissimè in ea contulerint omnia, quæ sunt veritatis, vti omnis quicunque velit sumat ex ea potum vitæ: hæc est enim vitæ introitus. Omnes autē reliqui fures sunt & latrones: propter quod

Ioan. 10:

IN I. AD TIMOTHEVM

quod oportet deuiriare quidem illos: quæ sunt ecclesiæ cum magna diligentia diligere & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim etsi de aliqua modica questione disceptatio es-
set; nonne oporteret in antiquissimas recur-
rere ecclesiæ, & ab eis de presenti questione su-
mere quod certum & liquidum est? Quid au-
tem, si neque Apostoli quidem scripturas reli-
quissent nobis, nonne oportebat sequi ordinem
traditionis quam tradiderunt ijs quibus com-
mittebant ecclesiæ, cui ordinationi assentient
multæ g̃t̃es barbarorum, eorū qui in Christo
credunt, sine charactere vel atramento scrip-
tam habentes per spiritum in cordibus suis, sa-
lutem, veterem traditionem diligenter custo-
dientes? Et cap. 3. Traditionem itaque Aposto-
lorum in toto mundo manifestatam in Eccle-
sia adeſt perspicere omnibus, qui vera velint
audire: & habemus adnumerare eos qui ab A-
postolis instituti sunt episcopi in ecclesijs, &
successores eorum usque ad nos. Et infra: Sed
quoniam valde lōgū est in hoc tali volumine
omniū Ecclesiarum enumerare successiones,
maximæ & antiquissimæ, & omnibus cogniti-
tæ à gloriissimis duobus Apostolis Petro &
Paulo Romæ fundatæ & constitutæ ecclesiæ,
eam quam habet ab Apostolis traditionem &
annnciatiam hominibus fidem, per successio-
nes episcoporum peruenientem usq; ad nos,
indi-

CAPVT III.

86

indicantes, confundimus omnes eos qui quo-
quo modo vel per sui placentiam malam, vel
vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam
sententiam, præterquam oportet colligūt. Ad
hac enim Ecclesiam propter potentiorē prin-
cipalitatem necesse est conuenire omnem ec-
clesiam, hoc est, eos qui sunt vndiq; fideles, in
qua semper ab his qui sunt vndique, conser-
uata est ea quæ est ab Apostolis traditio. Et
cap. 40. Fidem, ait, nostram perceptam ab Ec-
clesia custodimus, & quæ semper à spiritu Dei,
quasi in vase bono eximium quoddam depo-
situm iuuenescere, & iuuenescere faciens ip-
sum vas: In quo enim Ecclesiæ creditū est Dei
munus, quemadmodum aspiratio psalmatio-
ni, ad hoc ut omnia membra percipientiā vi-
uiscerentur: & in eo disposito est communica-
tio Christi, id est, Spiritus sanctus arra incor-
ruptelæ & confirmatio fidei nostræ & scala af-
fensionis in Deum. In ecclesia (inquit) posuit
Deus Apostolos, Prophetas, Doctores, & vni-
uersam reliquam operationem spiritus, cuius Ephes. 4.
^{1. Cor. 12.}

non sunt participes omnes qui non concur-
runt ad ecclesiam, sed semetipſos fraudat à vi-
ta per sententiam malam & operationem pes-
simam, ubi enim ecclesia ibi & spiritus, & ubi
spiritus Dei, illuc Ecclesia & omnis gratia, spi-
ritus autem veritas. Et libro 4. cap. 63. Agni-
tio vera est Apostolorū, doctrina & antiquus

Eccl-

IN I. AD TIMOTHEVM

Ecclesiæ status in vniuerso mundo , & chara-
ctere corporis Christi, secundum successiones
episcoporū , quibus illi eam quæ in unoquoq;
loco est ecclesiæ tradiderunt , quæ peruenit
vsque ad nos custodita sine fictione, scriptura-
rum tractatione plenissima, neq; ablationem
recipiens lectio sine falsatione , & secundum
scripturas expositiæ legitima & diligēs, & sine
periculo, & sine blasphemia, & præcipuum di-
lectionis manus, quod est pretiosius quam ag-
nitio, gloriosius autem quām prophetia , om-
nibus autem reliquis charismatibus eminens.
Et Hieronymus in fine libri cōtra Luciferianos ,
Poterā, inquit, omnes propositionū riuu-
los uno ecclesiæ sole siccare. Et iterū: Breuem
tibi apertāmque animi mei sententiam profe-
ram, in illa esse ecclesia permanēdum , quæ ab
Apostolis fundata vsq; ad hāc diem durat, etc.
In epistola quoque ad Cthesiphontem . Multi
anni sunt, quod ab adolescentia vsque ad hanc
ætatem diuersa scripsi opuscula, semperq; ha-
bui studio audientibus loqui quod publicè in
ecclesia didiceram. Nec philosophorum argu-
mēta sectari, sed Apostolorum simplicitati ac-
quiescere. Qui etiam in epistola ad Theophyl-
lum contra Ioannem Alexandrinum. Perpsi-
cum (inquit) est dolorem proprium causam
ecclesiæ non putandum, Nec stomachū vnus
hominis, immo per illum aliarum generali Ec-
clesiæ

C A P V T I I I.

87

ecclesiæ vocabulo nuncupandum: norans vide-
licet abusus multorum . Et Ambros. epist. 82.
Vtrunque ait, ad Mosen à domino dictum est,
Vbi stas, terra sancta est. Et: Tu hic sta tecum, Exod. 3.
hoc est, tecum stas, si stas in ecclesia. Ipsé enim Deute. 5.
locus est sanctus, ipsa terra fœcunda sanctita-
tis & opima virtutū messib⁹. Sta ergo in Ec-
clesia: sta vbi tibi apparui, ibi ego tecum sum.
Vbi est ecclesia tibi firmissima, statio tuę men-
tis est, ibi fundamentum animi tu⁹, vbi tibi de-
rubo apparui. Tu rubus, ego ignis in rubo. Ego
in carne propterea ignis, vt tibi luceā , vt tuas
spinas & tua peccata consumam, & meam tibi
demonstrem gratiam . Similiter August. libro
contra epistolā Fundamenti cap. 5. Ego euangeli-
o non crederem, nisi me catholica Eccle-
siæ commoueret authoritas. Quibus ergo ob-
temperau. dicentibus: Credite euangelio, cur
non obtemperem dicentibus mihi, noli crede-
re Manichæo? Et lib. de utilitate crededi c. 14. Ad Ho-
Nullis me video credidisse (Christum scilicet
esse factandum) nisi populorum atq; gentium
confirmatę opinioni ac famę admodum cele-
berrimę . Hos autem populos ecclesiæ catho-
licæ mysteria vsquequaq; occupasse . Cur non
igitur apud nos potissimum diligenter requi-
ram, quid Christus præceperit, quorū authori-
tate communis Christum aliquid utile præce-
pisse iam credidi? Tu ne mihi melius expositu-
rus es

noratum
Manich.
quendā,

rus es quid ille dixerit, quē fuisse aut esse non
putarem, si abs te mihi hoc cōmendaretur esse
credendum? Hoc ergo credidi (vt dixi) fama
celebritate, confensione, veritate roborata.
Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, &
tam noui nemini dubium est, quin nihil dignum
authoritate præferatis. Hic si roges, quomodo
& per quid sit ecclesia columna veritatis, ex
præcedentibus patet responso, per continuam
nimis & indefectibilē spiritus assidentiam.
Sed quia hæc responso generalis est latius ex-
plicāda sunt spiritus charismata, quibus id præ-
stat. Primum est multitudo miraculorum, qui-
bus & ad fidem adducta est, & in eundem re-
tinetur. Nihil enim (sicut ait August. cap. 16. de
utilitate credendi) est populis aptius & omni-
nō stultis hominibus, quam id miraculū quod
sensibus admouetur. Alterū quo ecclesia fir-
mat veritatem est sequentium credentiūq;
multitudo, sicut eodem loco dicit Aug. Con-
iungit hæc duo August. etiam cap. 17. eiusdem
lib. Et lib. 22. de ciuita. Dei cap. 5. & multis se-
quētibus. Quibus locis ostendit admirāda esse
miracula initio ecclesiæ facta, & multa adhuc
ad fidem stabiliēdam quotidie edi: Maximum
autem esse quod mundus rem tam incredibili-
lem paucis ijsq; idiotis, & iuxta seculum infir-
mis atque abiectis annuntiātibus credidit, qui
etsi miracula stupenda non fecissent, maius ta-
meri

men est miraculum mundum eis cessisse sine
miraculis. Quisquis etiam nunc querit prodi-
gium vt credat in Christum magnum est ipse
prodigium, qui mundo credente nō credit. In
multitudine autem sequentium est consensio
tot populorum atq; gentium per tot tempora
hucusque perdurās, per tot loca extensa. Et in
his supra modū mirabile est, quod res tam ar-
duas & incredibiles personarū Trinitatem in
vna natura, Deum hominem crucifixum, car-
nis resurrectionem iam noscant omnes, etiam
anus & puellæ, quod vnicus Deus à vulgo co-
latur, & quod nullum corpus iam pro Deo co-
lant. Sed in his eminet tā enumera turba mar-
tyrum, tam horrenda & magna supplicia pro
Christi fide tolerantium: perfecta castitas in-
numerarum virginum omnes nuptias con-
temnentium: amor abstinentiæ & paupertatis
in innumeris maximus, quodq; omne vulgus
se infirmum agnoscat, dum talia nō amplecti-
tur. Populi (ait August.) fauent, prædicant, &
laudant: item ardens charitas & summa pax
atque unitas inter catholicos, de qua Christus:
In hoc cognoscunt omnes, quod discipuli mei Ioan 13.
sitis, si dilectionem habueritis ad iniucem: de
quo suprà Irenæus. Tertium est, quod hæc
omnia quæ iam in mūdo videmus apud Chri-
stianos impleri & ab ecclesia prædicari, à pro-
phetis ante multa secula monstratur esse præ-
dicta

IN I. AD TIMOTHEVM

dicta, etiam ipsius ecclesiæ à gentilibus, & hereticis oppugnatio, quod utiq; nullius hominis industria vel fraudulentia vel magia potest ascribi. Nec possunt hi libri post rerū euētum dici esse confetti, cum inimici Christi Iudæi per varias gentes dispersi testentur libros illos ante Christi natalem, ut sacros, à gente Iudæa receptos. De quo signo vide August.lib. 13. contra Faustum pulcherrimè agentē : Hæc igitur, inquit, charismata, miracula, prophetatum vaticinia consona euentui, credentium extensio in omnia loca & tempora, uniformitas doctrinæ, & constans unitas per omnia loca & tempora, virtus vera tam heroica quam communis, ea sunt, per quæ firmat ecclesia veritatem in cordibus. Sed præter hæc omnia charismata per quæ vera esse probatur ecclesiæ doctrina, est & aliud, de quo suprà Irinæus, népe ministerium docendi, prædicandi, atque veritatem perpetuò custodiendi, & hoc est, apud pastores et doctores ad cōsummationem sanctorū, donec occurramus omnes, etc. vt Apostolus ad Ephesios 4. dicit. Et primò atq; præcipue apud Christi vicarium Petrum, eiūsque successores, vti ait Christus : Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiæ meam.

Matth. 16

Luc. 22. Et: Ego pro te rogaui, etc. De his Augustinus libro contra epistolam Fundamenti cap. 4.

Obijciat fortassis quispiam rectius Pastores,
Docto-

C A P V T . I I I . 89

Doctores, ac potissimum successorem Petri columnas veritatis dicédos quam Ecclesiam, præsertim cum ea dici solùm videatur columnæ ratione cathedræ Petri. Respondendum est, si respiciatur solùm ministerium prædicandæ & custodiendæ doctrinæ, verum est Apostolos eorūmq; successores columnas esse doctrinæ. Sin verò attendantur omnia per quæ veritas ipsa custoditur in cordibus hominum; nempe verbi ministerium, & simul quæ antè diximus, consensio popolorum, miracula, pietas vita, multitudo sequentium, & similia, cum sola Ecclesia hæc omnia in varijs mēbris habeat; non ipsi semper ministri præ illis merito columnæ nomen sibi vendicat. Deinde insigne quiddam est solis bonis in ecclesia competens, nempe gemitus & preces impetrantes à Deo ut veritas & pietas ad iudicium usque in cordibus hominum inscribantur & perseuerent. Atq; hac ratione dicit August. solos bonos esse eam domum, quæ dicitur ædificari super petram, cap. 5. lib. 7. cōtra Donatistas: quo modo ca. 17. & 18. dicit petram & solos bonos dimittere peccata, quanquam malorum id fiat ministerio. Eadem enim est ratio de doctrinæ & sacramentorum administratiōne. Atque ita pater, quomodo aliquo sensu propriè magis dicitur ecclesia colūna veritatis, sicut sola proprie dicitur mater nostra, & Christi sponsa &

N vxor;

IN I. AD TIMOTHEVM

vxor,&c alio modo pastores : ministerio scilicet, quod Deus non deserit propter preces & gemitus ecclesie. Epiphanius in hæresi Arrij dicit Christum vocari columnam, quia fundatum est veritatis, Græcè eisdem verbis vrens, quibus hoc loco Paulus. Et innuere videtur ita cum in scripturis vocari : Nec alias quo id dicatur præter hunc locus occurrit. Videlicet igitur ne fortè sic legerit Epiphanius, [columna & firmamentum veritatis, & manifeste magnum est pietatis mysterium, quod manifestatum est in carne] vi hæc inter se cohaerant. Sed in hæresi Archoticorum, quæ est numero 40. hæc verba Apostoli citans, manifeste ea ad ecclesiam referunt.

Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, etc.
Quia Apostolus iam inciderat in mentionem ecclesie simul alludens ad templum Iudaicum quod carnale tantum erat, nō in veritate Spiritus sancti vel doctrina, fundatum, eōq; breui post interiit, progreditur ad mysterij quod in ecclesia est declarationē (nam & in altero arcana quædam sacra fuerunt) vt inde ostendat veritatem doctrinæ ecclesiasticæ rem esse ad modum sacram religiosęq; tractandam. Digni (inquit Chrysostomus) tanto mysterio vivere studeamus, hi népe quibus mysteria creduntur magni vtique sunt : studeamus digni fieri, quibus creditur tanti custodia sacramenti. Vo-

cat

C A P V T I I I .

90

cat autem hic mysterium, dispensationem carnis assumptæ, ipsam Domini incarnationem, quod Deus sit homo. In hac enim re præcipue consistit religio Christiana & ecclesiæ doctrina. Ad hoc enim mysterium explicandum, & credendum, & salutem ex eo petendam omnia in ecclesia fiunt. Dicit autem hoc esse magnum, & quidem manifeste, pro quo Græcè est confessio: magnū, hoc est, vt dicit Ambrosius, omnium confessione. Et Erasmus, citra controversiā. Chrysostomus interpretatur indubitate. Quomodo igitur mysterium est, ait Chrysostomus quod omnibus est notum? Respondet. Sed id anteā erat incognitum, nunc autem singularis gratia merito manifestatum est. Potest etiam mysterium dici, quia nemo id ex se cognoscere potest, sed is tantum cui voluerit ipse reuelare. Sicut Apost. 1. ad Corinth. 2. dicit, quod oculus non vidit, etc. Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum. Imò & fidelibus adhuc mysterium est incarnationis Domini, vt ait Leo serm. 3. de natali domini. Et serm. 10. Natiuitas domini, ait, omnia miracula, omnemq; intelligentiam rationem excedit. Et de ea scriptum est: Generationem eius quis enarrabit? Esa. 53: Quid enim maius Deo? Quid inter omnia creata homine? & quid tam exiguum cōparatione omnium angelorum & hominum & reliquæ creaturaræ quam unus homo? & tamen unus

N 2 homo

I N I . A D T I M O T H E V M

homo ipse factus est. Et quid mortali misericordia & hoc ipse factus est. Quæ maior potuit esse charitas Dei erga hominem, quam ut pro rebellante supplicium ei debitum Deus ipse subiret? Quæ melior ad veritatem & beatitudinem via, qua ipsa veritas & beatitudo Deus homini ita attemperatus, ut natura atq; misericordia ei simili fieret? Quæ medicina efficacior, quam qua medicus ipse morbum in se transfert, & ita similem se facit infirmo, ut per similitudinem sui quod morbo contrarium est, in eum transfundat? Vnde Dei potètia magis potuit homini declarati, quam dum et homo ex malo in bonum commutatur, et Deus ipse misericordia efficitur. Quanta diuinæ iustitiae cōstantia, dum is pœnam luere mauult, quam peccatum relinquare impunitū. Mirabile supra modum: Deus homo. Mirabile: Deus miser homo. Mirabile: Deus pro impijs inimicis mortuus homo. Mirabile: quod iustissimus sit miser, ut impius fiat beatus. Quid (inquit August.) tā opus habēs misericordia, quam miser? Et quid tam indignum misericordia, quam superbis miser? Ex quo factum est, ut illud Dei verbū per quod facta sunt omnia, et quo fruitur omnis angelica beatitudo usq; ad miseriā nostrā porrigit clementiam suam, et verbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Sic enim posset panem angelorum traducare homo nondum

Tib. 4. de
liber ar-
bit. c. 10.

Ioan. 1.

Psal. 77.

C A P V T I I I .

91

dum angelis adæquatus, si panis iste angelorū hominibus dignaretur adæquari. Magna misericordia atque malitia homo pauper et superbus atq; rebellis Deo creatori atque bono suo; Sed maior misericordia atque bonitas Deus, cum diues esset, pauper factus et humiliis atq; obediens pro inimico suo. Deus (ait Aug. lib. Senn. Prosp., sent. 30.) homo factus est: Quid futurus est homo, propter quæ Deus factus est homo? Et lib. 9. Confess. cap. 6. de se recente baptizato merito dicit. Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili cōsiderare altitudinem concilij tui (Deus) super salutem generis humani.

Mysterium pietatis. Græcè est, boni cultus. Solus autem Dei cultus bonus est, qui colitur fide, spe, et charitate. Pelagius hoc sic exponit, Quia per incarnationem Christi generi humano pietas collata est. Sic loquitur Leo serm. 5. de natali dicens: Hæc domini nostri opera dilectissimi; non solum sacramento nobis utilia sunt, sed etiam imitationis exemplo: si in disciplinam ipsa remedia transferantur, quodque impensum est mysterijs, prospic & moribus. Et serm. 3. Hoc magnæ pietatis sacramentū, quo totus iam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui in illud credidere promisum, quam qui suscipere donatum. En hic Leo

N 3. in voce

IN I. AD TIMOTHEVM

in voce mysterij & sacramenti aliquid efficaciaz vult signari : Non solum significationem; quod consonat mysterijs legis veteris , quæ emundatione carnis prestatabant . Vnde ita August. vocem sacramenti usurpat , & post eum alij. In aqua verbum mundat . Quid est aqua nisi aqua ? accedit verbum ad elementum , et fit sacramentum . Sic Magister sententiarum . Sacmentum hoc, inquit, causa est totius sanctæ religionis, et veræ culturæ . Ambrosius interpretatur, pietatem, idem esse quod veritatem in ecclesia prædicatam , quia videlicet verum cultum Dei prædicat Ecclesia . Lyranus interpretatur Sacmentum pietatis , quia Christi incarnatione procedit ex maxima pietate . Sed non arbitror Deum in scripturis vocari Eusebium, hoc est, pium cultorem.

Quod manifestatum est. Sic legit Ambrosius, & interpretatur Christum esse sacramentum siue mysterium, sicut etiam Apostolus ad Colos. 1. Christum sacramentum siue mysterium appellat. At Chrysostomus & Gyrillus legunt, Deus manifestatus est in carne : sed unus semper idemque; sensus est . Nec ullus est veterus (quod equidem sciens) qui præter Erasmus, de prædicatione euangeliū istud accipiat , sed omnes Christi personam intelligunt . Liberatus archidiaconus Carthaginensis , in Breuiarij sui, cap. 19. sic habet: Hoc tempore Macedonius

Con-

C A P V T . I I I 92

Constatinopolitanus episcopus ab Imperatore Anastasio dicitur expulsus tanquam euangelia falsaret, & maximè illud Apostoli dictum: quia apparuit in carne, iustificatum in spiritu. Hunc enim mutasse, ubi habet, id est, monosyllabum Græcum, litera mutata, o in ω, vertisse, & fecisse ως, id est, ut esset Deus, apparuit per carnem. Tanquam Nestorianus ergo culpatus, expellitur per Seuerum, etc. Hæc Liberatus in tertio Tomo Conciliorum iuxta nouissimam editionem, in qua locus hic prius multilis, ut hic citatur restitutus est . Vera igitur lectio est ως θεος, id est, qui Deus vel ipse Deus manifestatus est per carnem . Quid igitur sibi hic velit annotatio Erasmi, qua subolere sibi ait locum hunc à Catholicis contra Arrianos esse immutatum, viderint alij. Certè ut hic ex Liberato discimus , constat eum ab hereticis contra Christi diuinitatem, corruptum esse.

Manifestatum est in carne. Particulatum explicat magnitudinem mysterij, quod est Deus & homo. Et primo proponit quod maximum est, Deum nempe manifestatum esse in carne, id est, in humana natura misera. Accipit enim Apostolus carnem pro humana natura, prout est misera atque mortalis. Sicut ad Hebr. 5. Qui in diebus carnis suæ, id est, dum esset homo miser. Et 2. ad Corinth. 5. Et si nouimus secundum carnem Christum. Et ad Galath. 4. Tentationem

N 4

tationem

tationem vestram in carne mea non spreui stis. Primum igitur mirabile illud & magnum est, quodque nos merito ad Dei cultum excitat, quod Deus homo miser factus sit, ac perpetuo in laboribus & miserijs vixisse palam visus sit.

Iustificatum est in spiritu, hoc est, ipse Christus ab initio conceptionis iustus & sanctus a Spiritu sancto effectus est, ut nūquā peccatum habuerit. Sic Chrysostomus interpretatur licet & aliū adferat sensum. Similiter Cyrillus lib. de incarnatione vñigeniti cap. 2. & lib. de recta fide ad reginas. Est autē & secundum hoc sublime admodum atque admirandum, miserum videlicet hominem nunquam peccato subiacuisse; prater omnium aliorum morē de Spiritu sancto natum esse, totum sanctum. Id quod magnum momētum habet ad nos iustificandos. August. in Enchirid. cap. 40. docet gratiam Dei significari, dum Christi conceptio Spiritui sancto tribuitur. Alia est expositio Chrysostomi, ut sit sensus: Per spiritū declaratus est iustus, sicut dicitur sapientia iustificata à filijs. Sic & Ambros. in comment. sibi inscripto, per spiritum intelligit miracula & prædicationem, quibus ipse Christus quis esset declarauit. Similiter Sedulius: iustum demonstratum est in spiritu, Deum in forma columba super eū descendit: siue (inquit) quod prophetatum est per Spiritum sanctum. Sed prior

Matth. ix.

expo-

expositio magis placet. Apparuit angelus, siue visus est angelis. Nobiscum (ait Chrysost.) viderunt angeli, quem antea non videbant. Et hoc tertium mirabile est quod ipsis etiam angelis per Christi incarnationem accessit, vide re, nimurum Deum infantem, & in deserto cum bestiis agentem, ieunantem, mæstum, probris affectum, mortuum, resurgentem quoque & ascendentem super omnem angelicam natu ram. De quo dicunt in Psal: Quis est iste Rex Psal. 23. gloriae? Et apud Esaiam: Quis est iste qui venit Esa. 93. de Edom: ut recte interpretatur Dionys. Areo pagita cap. 7. cœlestis hierar. Iam autem cum vident in ecclesia Christi mortis effectum valde mirantur Dei sapiétiam. De quo Apostolus ad Ephes. 3. & 1. Petri t. Sed quomodo per hoc quod Christus homo & Deus angelis apparuit & visus est, pietas nobis conferitur? quia per angelos nobis primo omnia manifestata sunt, ut videre est in Christi natali, resurrectione, ascensione, & vocatione Cornelij Centurionis ad fidem: tum quia angeli nobis tunc sunt reconciliati, ac maiorem salutis nostræ curam gerere cœperunt. De quo August. in Enchiridio cap. 61. & 62. Gregor. lib. 34. Moral. cap. 4. accipit angelos homines prædicatores, quia sequitur, prædicatum est Gentibus: Magis placet prior interpretatio.

Prædicatum est Gentibus, &c. Est & hoc supra modum

IN I. AD TIMOTHEVM

modum mirabile, quod idololatris olim dierictis voluerit Deus tantum mysterium communicare, de quo Apost. ad Ephes. 2. & 3. Maius est quod sequitur, *Creditum est in mundo.* Miserum quod euágelica doctrina tam magna atq; sublimis ab omnibus vbiique habita sit, contra proprios ab auis longa serie acceptos errores, idq; tam subito ac per paucos, eosq; abiectos. Magnum est hoc & potestatis eius & veritatis argumentum.

Assumptum est in gloria. Hoc de Christi ascensione à committatoribus intelligitur, qua gloriosus videntibus Apostolis ascendit. Haymo annotat ordinem præposterū esse, prius enim assumptus est in gloria, antequam prædicatus fit Cetibus. Theodoreetus putat hoc additum esse, vt ostenderetur cur iure crediderit mundus prædicationi Apostolicæ, quia videlicet in cœlis à dextris Dei sedet, qui prædicatus est ab Apostolis & veritatem mundo persuadet.

Videndum num sit Apostoli sensus quod non solum creditum est Christo, vt Mosi vel alijs doctoribus, sed quod receptus sit à mudo tanquam in gloria patris existens, tanquam verus Deus: gloria enim dei solius est, vnde & Christus Apostolo gloria dominus dicitur, & Pater, Filius, ac Spiritus sanctus semper in ecclesia glorificatur. Ita vt istud assumptus siue receptus sit simile in significatione illi, quod

Ioan-

CAPVT IIII.

94

Ioannis 5. dicitur: Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me, alias veniet in nomine suo, illum accipietis. Vt hic idem dicatur quod ad Philippenses: Omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris, etc.

IN CAPVT QVARTVM.

Pirus autem manifestè dicit, &c. Postquā ostendit Apostolus quam religiosè ac solicite Episcopo in Ecclesia versandū sit, propterea quod veritas in ea resideat, summumque ibi mysterium tractetur, prædictis deinde venturos quosdam hæreticos, qui alio modo, quam Iudaizantes, mysterium istud sint oppugnaturi, & de multorum animis abolituri. Atque hæc altera est ratio cur episcopis ad uigilandum sit, vt hic sit sensus: Quanquā Ecclesia columnā est & firmamentum veritatis, in eaque citra cōtrouersiam magnum est pietatis mysterium, posterioribus tamen seculis exorituros seductores, Spiritus sanctus, dicit, per me, Manifestè, id est, expressis & disertis verbis. Oecumenius intelligit palā. Sic et Theophilactus, Palam, inquit, perspicuè, non adumbratè, sicut cōsuetudo est prophetiæ. Sic Chrysostomus, planè, aperè, indubitate: Similiter Ambrosius. Quia, seu quod, in nouissimis, posterioribus,

IN I. AD TIMOTHEVM
rioribus,imò paulò post futuris, temporibus dis-
cedent, apostatabūt seu deficiēt à fide:Iam iam,
inquit, exorituri sunt, ac decrescēt numerus
discipulorū . Attendentēs spiritibus erroris. Græcē
est, planis, hoc est, impostoribus (& doctrinis
dæmoniorum.) Ipsi doctores & pseudopro-
phetæ vocantur spiritus erroris & dæmonia,
sive diuini, sicut 1.Ioan.4. Omnis spiritus (om-
nis doctor) qui confitetur Iesum in carne ve-
nisse,etc. Nihilominus etiam dæmones ipsi hic
possunt accipi, qui pseudoprophetas loquun-
tur. Priori modo exponit Chrysost. Spiritus,
inquit, erroris meritō ipsos appellavit, quippe
qui eiusmodi spiritibus afflati, ista locuti sunt.
Omnis autē hæretica doctrina ex diabolo est,
vt annotat Chrysost. Videtur autem ad hoc
respicere quod Ephesij solent esse valde dediti
dæmonibus, & ab eis mysteria quædam pete-
re, vt & Platonici, ex quorum doctrina tunc
hæreses sunt ortæ.

In hypocrisi loquentium mendacium. Græcē est,
in simulatione falsiloquorum , hoc est, inter-
prete Chrysost. ipsa quæ mentiuntur, non per
ignorantiam , sed simulando loquuntur cum
veritatē non ignorēt . Similiter Ambrosius.
Casteriatam, hoc est, nota inustam indelebili.
Hanc notam dicit Ambrosius esse ipsam falla-
ciam , quæ dolo malevolentia denotat con-
scientiam ad perditionem, quam corrupti, im-
muta-

C A P V T I I I I . 95
mutabiliter. Tria igitur in cauterio notat Am-
brosius, corruptionē, immutabilitatem, & no-
tationem. Chrysostomus accipit impuram vi-
tam, cuius sibi sunt conscij, ex quo fit vt per-
ueritāt dogmata, sibi conātes persuadere, quod
nō erit retributio bonorum & malorum, quo
fit vt fôrdes eorū indelebiles sint. Sic & Oecu-
menius. Simulationem refert Pelagius non ad
hoc quod scientes falsa doceant tantūm, sed
etiam quod ea docent, ex quibus volūt sanctio-
res & puriores alijs videri, nempe tam casti &
temperati, vt & nuptias & esum ciborū quo-
rundam damnēt: Ita vt simulatio referatur ad
opera in speciem pia, quæ Christus vocat ve-
stimenta ouium. Falsa autem quæ docturi sint,
quædam exempli gratia subiicit : Nam sicut
Ambrosius dicit, etiam Apostolus vult istos per-
uertero incarnationis mysterium.

Prohibentium inbtere, abstinere à cibis, &c. Græ-
cus scholastes Oecumenius, ostendit vñstatam
esse Græcis locutionem , vt dicant, prohibuit
ne vesceretur , hoc est, prohibuit esum. Ita &
hic prohibentium abstinere , id est, prohiben-
tium ne quis vñtatur, sive præcipientium absti-
nentiam. Quos Deus creauit, &c. Quod omnis crea-
tura Dei bona sit, & nihil reüciendum, &c. Prohi-
bebant igitur hi aliquos cibos tanquam nō es-
sent à bono Deo, natura sua mali, sive immun-
di. Ex quo eodem principio & nuptias dam-
nabant.

IN I. AD TIMOTHEVM
nabant. Videamus igitur de quibus Apostolus loquatur. Chrysost. igitur, de Manichæis, inquit, & Encratitis, & Marcionistis, omniq; illorum officina loquitur. Sic & Oecumenius, & Theophilactus, & Ambrosius, qui etiā Partritanos adiungit. Sic & August. libro contra Adimantum cap. 14. Hos, inquit, proprie designat, qui non propterea téperant à cibis talibus, ut aut concupiscentiam suam refrenent, aut infirmitati alterius parcant: sed quia ipsas carnes immūdas putant, & earum cretorem Deum esse negāt. Sic igitur de Encratitis siue continētibus lib. 1. cap. 30. dicit Irenaeus: A Saturnino & Marcione (exorti) qui vocantur continentes, abstinentiam à nuptijs annuncianterunt, frustrantes antiquam plasmationem Dei, & oblique accusantes eum qui masculū & fœminam ad generationem hominum fecit & eorum quā vocantur apud eos animalia, abstinentiam induxerunt, ingrati existentes ei qui omnia fecit Deo. De Marcione dicit Epiphanius hæresi 42. docet hic animatis non vesci pronunciās reos esse iudicij eos qui carnem edunt, velut qui animas edant. De Saturnino autem, sic cap. 22. lib. 1. dicit Irenaeus: Nubere & generare à Satana dicūt esse. Multi autem ex his qui sunt à Saturnino, & ab animalibus abstinent, perfecta huiusmodi continentia seducentes multos. In hæresi 66. similia dicit,

C A P V T I I I I . 96
dicit, Manicheos dicere qualia Marcionem de abstinentia ab animatis. Edentem, inquit, carnis animam edere dicit & ipsum reum, vt & ipsi tale quid fiat, veluti si porcū edat, vt porcus rursus fiat, etc. Quapropter ab animatis abstinent isti, & si quis, inquit, vxorem duxerit, etiā ipse post discessum ex hac vita in aliud corpus transit & sit mulier, quo etiam ipse nubat. Dicit quoque Deum malum fecisse corpus, Deum bonum animas. August. quoq; lib. de hæresibus de Manichæis dicit, quodam præcipiuos scilicet nec carnibus vesci, nec ouis, nec lacte, sed nec vino fel esse, dicētes principis tenebrarum. Hi quoque docent auditores suos, vt si vtantur coniugibus, conceptum tamen generationēmque deuitent, ne diuina substantia quā in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis alligetur in prole. Vnde nuptias sine dubitatione cōdemnant, & quātum in ipsis est prohibent, quādo generari prohibēt, propter quod coniugia copulanda sunt. Vide lib. 6. August. contra Faustum, & lib. 30. cap. 5. & 6. vbi sic habet. Audi ergo, quod cōsideris te non videre, qua mente aut concilio hoc aduersum vos capitulum proferamus: non quod à carnibus abstineatis: nam hoc à quibusdam & primi parentes nostri fecerunt, sicut commemoras: non tamen ea damnandi, sed significandi gratia, quod nō intelligitis; & vnde iam quantum

tum sufficere videbatur, in superioribus partibus operis huius locutus sum : & Christiani non haeretici, sed Catholici, edomandi corporis causa propter animam ab irrationabilibus moribus amplius humiliandam, non quod illa esse immunda credant, non solum à carnibus, verum à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper, sicut pauci ; vel certis diebus atque temporibus, sicut per quadragesimam ferè omnes, quanto magis quisque vel minus, seu voluerit, seu potuerit. Vos autem ipsam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quod carnes diabolus operetur fœculentiore materia mali, ac per hoc eas, rāquam immundiora & truculēria Dei vestri vincula, exhorrentes abijicit. Et infra : Illud quod sequitur ea verba Apostoli, quibus commemo rationem huius capituli terminasti, ipsum est omnino, quod nos facit hoc testimonium vobis obijcere : quod & tu, puto, sciebas, vt ea verba primo nō poneres, & nobis in extremo dices, qua mente aut concilio hoc aduersum nos capitulum proferatis. ego non video. cum hoc ipsum nostrum concilium tacere, quam commemorare malueris. Cum enim Apostolus dixisset: Abstinētes à cibis, quos Deus creuit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, secutus ait: Et his qui cognouerunt veritatem, quoniam omnis creatura Dei bona est, &

Cap. 6.
ēiusdem
libri.

est, & nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur : Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Hæc sunt qua negatis, hoc animo, hac voluntate, hac opinione ab eis huiusmodi temperatis, quod non significatione, sed natura malæ & immūdæ sint. Quia in re creatorum earum sine dubio blasphematis. Hoc est quod pertinet ad doctrinā dæmoniorum. Nolite ergo mirari hoc de vobis tantò antè à Spiritu sancto prophetatum. Iterum: si ad virginitatē sic hortamini, quemadmodum hortatur apostolica doctrina, Qui dat nuptum, bene facit: & qui nō dat nuptum melius facit, vt bonum esse nuptias diceretis, sed meliorem virginitatem : sicut facit Ecclesia, quæ verè Christi est Ecclesia, non vos Spiritus sanctus ita pronunciaret, dicens: prohibētes nubere. Ille enim prohibet, qui hoc malum esse dicit, non qui huic bono aliquid melius anteponit. Denique vos eum præcipue cōcubitum detestamini, qui solus honestus & coningalis est, & quem matrimoniales quoq; tabulae præ se gerunt, liberorum procreandorum causa: vnde viro non tam concubere quam nubere prohibetis. Et infra: Videntis ergo multum interesse inter hortantes ad virginitatem bono minoribonum amplius præponendo, & prohibentes nubere concubitū propagationis, qui solus propriè nuptialis est, ve-

O hemen-

Cap. 6.

1 Cor. 7.

hementius accusando: multum interesse inter abstinentes à cibis, propter sacratam significationem, vel propter corporis castigationē, & abstinentes à cibis, quos Deus creauit, dicēdo, quod eos Deus non creauit. Proinde illa doctrina est Prophetarum & Apostolorum: hæc dæmoniorum mædacioquorum. Patricianos autem dicit August. in lib. de hæresibus docere substantiam carnis humanæ non à Deo, sed à diabolo conditam. His similes introducit Epiphanius Seuerianos hæresi 45. docentes vitam ex diabolo ortam, & mulierem opus esse Sathanæ, velut etiā Archontici hæresi 40. hoc dixerunt: quare etiam matrimonium contrahentes, Sathanæ opus explore dicūt: sed & hominis dimidiā partem esse Dei, dimidiā diaboli, nam ab umbilico & supra dicit esse formationem Dei, ab umbilico vero & infra malæ potestatis formationem; quapropter dicit omnia secundum volupratem & cestri stimulū ac concupiscentiam ab umbilico & infra fieri. Sed & alia hæreses hoc affirmârunt. De Ebionitis quoque, hæresi 30. qui fuerunt tempore Ioannis Apostoli, sic dicit. Ab animatis item & carnibus Ebionem abstinuisse, & ab omni alio edulio ex carnibus facto dicunt, velut etiam ipsi faciunt. Nam & ipse Ebion & Ebionitæ penitus ab his abstinent. Quum autem interrogaueris vñ ex ipsis, qua de causa

anima-

animatis non vescantur, non habentes quod dicant, respondent imprudenter & dicunt, propterea quod ex coitu & cōmixtione corporum talia sunt, non vescimur eis. In hæresi Gnosticorum 26. dicit ipsos quidē se polluere, verum vitare liberorum generationē, eos tamen omnibus carnibus vesci. Dicit etiā Epiphanius, Apostolicos & Hierachitas damnare nuptias: Sed non videntur hi propterea eas dānasse, quod putaret à Sathanæ esse vel carnem natura malam, sicut nec Nouatiani, aut Montanistæ propriè hic notantur. Haymo dicit Apostolum loqui de Marcione, Ebione, Cerintho, & Mâne. Cerinthus fecutus est Gnosticos & Carpocrati: Gnostici omnino auerfantur procreationem liberorum, & Carpocratiani: de quibus Irinæus lib. 1. ca. 24. & Epiphanius dicunt notari ab eis suos discipulos cauterio in superiori dextræ auris parte. Forte Apostolus respexit ad hoc, quod sicut aure habent cauterio notaram, ita & conscientiam. Nec est necesse eosdem omnes cauterio notatos fuisse omnes prohibuisse nuptias & cibos: sed sufficit si quidam de schola Simonis Magi nuptias prohibuerint, quidam cibos, quidam vtrunq; quidam fuerint cauterio notati. Omnes istæ varierates ab vno Simone Mago sunt ortæ. Hos inseguuntur hodie Anabaptista, Dauidgeorgiani, & similes; qui dictuntur caute-

O 2

riunt

rium sibi inurere. Apostolum verò de his sentire, quos diximus, patet: quia hæreses hæc valde fuerunt dilatatae, & multos infecerunt: & in Asia quidem viguerunt Encratitæ, ut testatur Epiphanius. Omnes dictæ hæreses mystérium incarnationis euertunt, dum carnem à Deo bono esse negant, & Deum Christi Patrem dicant non esse creatorem. Quod Ebion tamen non dicit, sed circa Christum non minus errat. Et circiter Apostoli tempora exurgere cœperunt hi hæretici, ut patet ex Ebione & Saturnino, quem tertiam hæresim à Christi aduentu condidisse dicit Epiphanius. Ignatius epist. ad Philadelphienses post factam Ebionis mentionem, sic dicit: Si quis corruptionem & co-inquinationem vocat legitimam commixtionem & filiorum procreationem, aut aliquam escam execrabilē putat, huiusmodi habet cohabitatem draconem apostatam. Et epistola ad Heronem: Vino & carnibus non ex toto abstineas, non enim ex toto sunt execrables.

Ex his manifestum euadit hunc locū Pauli male torqueri à Lutheranis contra legem cœlibatus sacerdotum, & ieunia ab Ecclesia præscripta, certorūmq; dierum abstinentiam: Nulli enim in Ecclesia prohibentur nuptiæ: nulli indicitur perpetua ab aliquo cibo abstinentia: sed ijs tantum, qui volunt sponte amplecti sacerdotium, vel (exempli gratia) institutum Cartusianum.

thusianum. Nec eò animo tanquam à diabolo essent nuptiæ & carnes inueniæ. Si Imperator nolit ad militiā admittere, professos Christianam religionem, vel doctores Medicos & Iuris, non ideo prohibet Medicinam & Jurisprudentiam, & Religionem. Similiter si ad concilium suum non recipit mechanicos, nō ob hoc prohibet mechanicas artes. Christus laudauit Matt. 19. se castrantes propter regnum cœlorū. Et Paulus hac epistola peccare dicit viduas volentes nubere, quod primam fidem irritam fecerunt. Rechab præscripsit filiis suis, ut in perpetuum à vino abstinerent; qui & ob præstitam hanc abstinentiam laudatur à domino, ore Hieremias. Non igitur hæc doctrina est dæmoniorū. Sed non est quod gloriatur Lutherani &c alij hæretici hodierni, quasi primi hunc locum cōtra Ecclesiam obiecerint. Fecit hoc ante eos pater eorum Iouinianus, quem Hierony. sic loquitur ad Catholicos inducit. Manifestum est vos Manichæorum dogma sectari prohibetum nubere & vesci cibis, quos Deus creauit ad vtendum. Sed respondet Hieronymus paulò superiùs. Neque verò nos Marcionis & Manichæi dogma sectantes nuptijs detrahimus. Nec Taciani principis Encratitarum errore decepti omnem coitum spurcum depuramus, qui non solum nuptias, sed cibos quoq; quos Deus creauit ad vtendum damnat & re-

Cōtra Iouinia, li. 1

O 3 probat.

IN I. AD TIMOTHEVM

probat. Et August.lib.2.de nupt.& concu.c.5.
& lib.1.contra 2.epist.Pelagianorū cap.2.Ma-
nichæos (inquit) appellat Iulianus catholicos,
more illius Iouiniani , qui ante paucos annos
hæreticus nouus virginitatē S. Mariæ destrue-
bat,& virginitati sacræ nuptias fidelium co-
quabat. Nec ob aliud hæc obijciebat Catholi-
cis , nisi quia eos videri volebat accusatores
vel damnatores esse nuptiarum . Ambrosius
quoq; epistola.81. ad Syricum Papam,appro-
bat damnationem Iouiniani , quæ habetur in
epistola præcedente, quæ est Syricij Papæ . Si-
militer cōtra eum scripsit ad Vercellenses epi-
stolam 82.Chrysostomus in comment. Si, in-
quit,idolothitum sciens ac prudens percipias,
immundus eris:non idè quod idolothitū est,
sed quod cum tibi imperatum sit nō commu-
nicare dæmonijs,per id communicare cōuin-
ceris. Itaque neque illud natura eiusmodi est,
verum ex sententia tua ab inobedientia im-
mundum sit. Sic etiā dicendnm est de vescente
carnibus in Quadragesima, sicut et de esu po-
mi vetiti in primis parentibus.

Fidelibus & ijs qui cognoverunt veritatem, parti-
cipandum . Nota quod perceptio moderata
sumptionem signat: et ita Apostolus hic deli-
ties excludit.Cur adiecit fidelibus? an non et
infidelibus etiam cibos præbet? Maximè,sicut
dicit Apostolus:Implens cibo et lætitia corda
eorum:

Aet.14.

C A P V T I I I L . . . 100

eorum:Sed ipsi vanis legibus suis , ac supersti-
tioñis Dei creaturis se spoliant. Opponit ergo
fideles hæreticis docentibus malos natura esse
cibos. Vnde dicit fidelibus & ijs qui cognoue-
runt hanc veritatem , Quod omnis c̄reatura Dei
bona sit . Sic Theophilactus , Oecumenius, &
Chrysostomus : Sed Latinus Chrysostomus
mendosus est,sic enim habet . Fidelibus & ijs
qui nouerūt veritatem:infidelibus verò, nec-
dum infideles erant,quando per leges sibi ho-
rum v̄sus interdicebatur.Pro quo(vt ex Gr̄-
cis ipsis liquet)sic legendurn:Infidelibus verò
non:dum enim infideles erant, ipsi sibi per le-
ges horum v̄sum interdicebant.Hæc sentētia,
Gr̄cē legitur paucis verbis immutatis. Et ijs
qui cognoverunt veritatē(hanc scilicet)quod
omnis c̄reatura Dei bona est,sicut Genesis di-
cit:Vidit Deus cuncta quæ fecerat,& erat val-
de bona.Loquitur autem hic de esculentis, &
cibis ac poculentis humanæ naturæ accōmo-
dis.Chrysostomus hoc loco : Itaque hæresim,
inquit,nunc iugulauit eorū, qui materiam in-
genitam introducunt , atque ex illa facta esse
hæc dicunt . Hoc faciunt Marcion & Mani-
chæus & similes,qui duos ponūt deos,bonum
& malum.Rursus & Seleuciani,& Hermiani,
vt ait August.hæresi 59.

Et nihil reijciendum,quod cum gratiarum. Si in-
gratus percipias cibum, immunda est sumptio

O 4 tua per

tua per ingratitudinem, non cibi substantiam. Sic & illud intelligitur, Sanctificatur, sanctifica-ri enim iuxta scripturam illud dicitur quod emundatur, et Deo applicatur, ita ut etiam sic recte possit dici vir infidelis sanctificari per mulierem fidem, quia vxor fidelis orat pro eo, & dicat eum Deo, & applicat diuino cul-tui ut minimum orando pro eo. Hactenus igitur cibus sanctificatur & benedicitur quatenus vtimur eo ad Dei honorem, & hoc ab eo petimus atq; eū Dei cultui applicamus: Item quia mundatur à potestate diaboli, ne ab eo inficiatur, vel per eum nos in comedationes & ebrietates incitet. Sic Lombardus. Similiter Prudentius in hymno ante cibum dicendo ex-plicat istam sanctificationem.

Pruden-tius.

*Te sine (inquit) dulce nibil Domine,
Nec iuuat ore quid appetere
Pocula ni prius atque cibos,
Christe tuus fauor imbuerit
Omnia sanctificante fide.*

Et subdit:

*Fercula nostra Deum sapiant,
Christus & influat in pateras,
Seria, iudicra verba, iocos.
Denique quod sumus aut agimus
Trina superna regat pietas.*

Et infra circa finem.

Da locuples Deus hoc famulis,

Rite

*Rite precantibus vt tenui,
Membra cibo recreata leuent.
Neu piger immodicis dapibus
Viscera tanta grauet stomachus.
Haustus amarus abest procul,
Nec libeat tetigisse manu
Exitiale quid aut vetitum.
Gustus, & ipse modum teneat,
Soffitet vt iecur incolume.*

Nam quatum potestatis usurparit sibi ante Christi aduentu diabolus ad varijs modis no-cendum hominibus etiam per cibos & alimé-ta, vide apud Eusebium & Augustinum lib. 4. de ciuitate Dei, capite præcipue 19. & 26. Et lib. 18. cap. 16. & 17. & 18. Gregorius quoque lib. 1. dialogorum cap. 4. narrat, sumpta lactu-ca non benedicta dæmonem obsedit monia-lem quandam. Hinc in Ecclesia sal benedici-tur, & exorcisantur cibi, qui benedicendi sunt. Chrysoft. intelligit istud, sanctificatur, dictum, quasi admissa etiam aliqua cibi immunditia. Non quia immundum est (inquit) ideo sanctifi-catur. Absit. Verū hoc in loco illos alloqui-tur qui communia quadam ex ipsis esse arbitrātur. Duo igitur capita ponit, vnum quidem quod creatura nulla communis est. Secundo quod etsi communis sit, medicamentum in promptu est: signum illi crucis imprime: gra-tias age: Deo gloriā refer, & protinus immun-ditia

ditia omnis abscessit. *Per verbum.* Oecumenius intelligit per verbum, orationem, & illud Dei, dicit ordine præpostero positum per verbum, id est, orationem quæ sit ad Deum. Glossa interlinearis, & Lombardus, atque Thomas, per verbum Dei, intelligunt Christum filium Dei. Potest etiam intelligi, verbū, ipsa doctrina Dei, quæ sanctificat, non quia dicitur, sed quia creditur, ut secundum hoc præceptum Apostoli fieri intelligatur, non solum quod oramus ante cibum, sed etiam quod in mensa spiritale legitur, & tractatur, atque cogitatur, ut faciendum docet Aug. epist. 109. Ut non solum fauces, sed & mens pascatur Dei verbo. Et Basilius epist. 9. ad Gregorium. Et sanctus Gregorius Papa epist. 37. lib. 2. Registri, quæ est ad Natalem episcopum.

Hæc proponens fratribus. Hæc scilicet, quæ de magno mysterio & hæresibus venturis & eorum vanitate dixi, quodq; cibus per verbum Dei sanctificetur, etc. *Proponens.* Græcè est, sugerens, vel cōmonens. Annotant Græci quod Paulus iubeat submissè agere Timotheū cum subditis, *Bonus eris minister.* Christo bene ministrat, qui amore gloria eius, religionis dogmata Christianis proponit, & contra hæreses eos munit. *Fratribus.* Sic vocabantur omnes Christiani, Apostolorum tempore, secundum quod Christus in Euangeliō dicit: *Vnus est pater vester,*

Matt. 23.

vester, omnes autem vos fratres estis. Exiit Ioan. 21. sermo inter fratres, etc. *Enutritus.* Græcè est præsentis temporis, & est mediū verbū, quod potest verti, enutriens. Chrysostomus intelligit passiuē. Innutritus, inquit, perpetuā intentionem, & quasi diuinarum rerū habitum indicat: nam quemadmodū carnales cibos diebus singulis ex necessitate requirimus, ita & fidei pietatisq; doctrinam semper accipimus, eaque iugiter enutrimur: Innutritus (inquit) hoc est, diuina eloquia perpetuò ruminans & infatigabiliter animo versans, eaque intentissimè quotidie meditans. Sic & alij Græci. *Affec-*
tus es: quam magna diligētia studiōq; haec tenus ab infantia affectatus es. *Hoc est,* inquit, Oecumenius, In qua es educatus.

Ineptas autem & aniles fabulas deuita. Chrysostomus hoc de ineptis Iudeorum obseruationibus, & intempestiua legis obseruatione intelligit. Sed consequētia scripti magis ad scholam Simonis pertinere indicat. Hi contexebat longissimas fabulas de rerū creatione, de pugna angelorum & coniugij deorum, de Deo bono & malo, etc. ut est videre apud Epiphanium, & Ireneum, & August. de hæres. Et meritò fabulae vocantur, quia confictæ sunt præter omnem scripturam. Plura de his supra in 1. cap. huius epistolæ. *Exerce te ipsum ad pietatem.* Hoc est, ut inquit Chrysostomus, fidem vitamque

támq; rectá. Id enim significat pietatis nomé.

Nam corporalis exercitatio. Reddit Apóstolus rationem cur voluerit Timortheū esse athletam in pietate ; nam verbum γυμνάξω , quo Paulus vtitur propriè est athletarum. Quia, inquit, corporalis exercitatio, qualis est vulgariū athletarum vtilis est ad modicum, nempe corporalem sanitatem: *Pietas autem ad omnia*, tam ad parua quæ sunt præsentis vitæ, quam magna & perpetua, quæ in futura expectantur.

Commétarium alium refutat Chrysostomus, dicés : *Quidā hoc Apostolum de iejunio aiunt dixisse, sed profectò errant, Neq; enim est corporalis exercitatio iejunium , sed spiritualis.* Nam si corporalis esset , corpus profectò nutririēt ; cum illud maceret et extenuet maciéq; conficiat , corporalis dici omnino non potest. Igitur de corporis exercitatione ait inutili illa, et quæ nihil affert lucri, solique corpori ac-comodata sit . Pro Chrysost. facit, quod Chri-

Matth. 6. stus in euangelio, ieunati in absconso promittit mercedem à patre cœlesti, vtque in futuro seculo: Igitur non rectè dicitur ieuniu ad modicum valere . Et nihilominus de iejunio interpretatur Apostolum commentarius Ambrosio inscriptus , intelligens Apostolum significare parum prodesse iejunium , sine pietate: hoc est, vt ipse interpretatur , misericordia in proximum. *Quod verum est:* Sed lōge me- lius

Ilius Hieronymus libro.2.contra Iouinianum. Et ipse Ambrosius epistola ad Vercelléses, quæ est numero 82. Et in libro de Helia et iejunio cap.3.sic dicit: *Quid est iejunium nisi substantia & imago cœlestis?* Ieuniu, refection animæ, cibus méris est. Iejunium vita est angelorum: Iejunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis, hoc ad Deum gradu citius peruenit. Sumpsisse videtur illum librū Ambrosius ex homelia 1.& 2. Basili de laudibus ieunij. Vnde merito suspectus redditur etiam ex hac causa ille Ambrosij commentarius . Alibi alias reddidi causas, cur videatur nō esse Ambrosij . Intelligit hic commentarius nomine, pietatis, cultum parentum , & misericordiam erga proximum: & verus Ambrosius similiter pietatem intelligit , etsi cultū Dei præcipuum pietatis partem existimet. In lib.1. offic. ca.27. vbi citat ex cap.9. Proverb. secundum 70. pietas in Deum initium intellectus. *Quo(ait)ad- uertimus illud ab huius seculi translatum magis quām inuentum sapientibus :* quia pietas fundamentum est omnium virtutum . Sic & in illud Psal.ii8. Intellectū da mihi & viuam. Videtur magis Apostolo conforme, si nomine pietatis Dei cultū ir. diligamus. Sic certè accipit suprà. In omni pietate & castitate. Et magnum pietatis mysterium. Et infra: *Pietas cum suffi-*

sufficientia. Et epistola ad Titum: Quæ secundum pietatem est. Et i. Pet. i. Quæ ad vitam & pietatem donata sunt. Videtur Paulus expressisse nomine pietatis, quod scriptura vetus frequenter vocat timorem domini, sicut Septuaginta Interpretes pro eo quod nos habemus Iob 28. Timor domini est sapientia, ipsi legunt θεοτέλεια est sapientia & pietas in Deum, cultus Dei. Sic & Proverb. 9. Initium sapietiae est timor domini, est pietas in Deum. Et Esa. 33. Pietas ad dominum thesaurus tuus. Sic timere dominum, est colere dominum. 4. Reg. ca. 17. August. lib. 10. de ciuitat. Dei cap. 1. Pietas propriæ Dei cultus intelligi solet, quam Græci εὐσέβειαν vocant: Hæc tamen & erga parentes officiosè haberi dicitur. More autem vulgi hoc nomen etiam in operibus misericordie frequentatur, quod ideo arbitror euenisce, quia hæc fieri præcipue Deus mandat, eaque sibi vel pro sacrificijs vel præ sacrificijs placere testatur; ex qua loquendi cœsuetudine factum est, ut Deus ipse dicatur pius, quem sanè Græci nullo sermonis vsu ἐνσεβεῖν vocant, quanuis ἐνσεβεῖαν pro misericordia illorum etiam vulgus appellat. Vnde in quibusdam scripturarum locis, vt distinctio certior appareret, non ἐνσεβεῖαν, quod ex bono cultu, sed θεοσεβεῖαν, quod ex Dei cultu compositum resonat, dicere maluerunt. Vtrumlibet autem horum nos uno verbo enun-

bo enunciare non possumus.

Promissionem vite. Putat Thomas Apostolum hic citare promissionem adiectam in quarto præcepto Decalogi, quo præcipitur honor parentum, & subintelligitur omnis pietas in proximum. Videtur Apostolus potius respicere ad ea promissa legis, quibus vita promittitur obedienti Deo: ut, quæ faciens homo viuet in eis. Et Deuter. 5. Quis det eos tales habere mentem, vt timeant me, & custodiant præcepta mea omnibus diebus, & bene sit eis & semiui eorum in seculum. Et in Psal. Non est ^{Leuit. 18:} ^{Psal. 33:} inopia timetibus Deum. Aut fortè respexit ad Euangeliū, vbi dominus querentibus regnum Matth. 6. Dei & iustitiam eius, promittit etiam temporalia, non solum æterna. Thomas rectè interpretatur promitti temporalia solum, quatenus æternis subseruiunt: & eam promissionem omnino impleri, dum compéfat Deus spiritualibus & æternis, quicquid in corporeis et caducis defuerit. Secutus Hiero. in illud Matth. 19. Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

Fidelis sermo, non fabulosus. Sic commentarij Chrysostomi, Theophilacti, Oecumenij, Ambrosij. Refertur hoc ad superiora. Verax (inquit) est fide dignissimum est quod dixi, vitam et præsentem, et futuram pietati promissam.

In hoc enim laboramus. Ideo, inquit, labores maximos subimus et probra patiēter ferentes contemni-

temnimus, quia speramus etermā vitam à Deo viuo, qui dat omnibus salutē aliquā , maximē fidelibus, quibus æternam donat . Sic Chrysostomus, Ambros. Pelagius: intelligunt Deum omnibus dare vitam p̄sente, fidelibus etiam futuram, idōque dici saluatorem omnium hominum, etc. Theophilactus videtur similiter intelligere, atque illud, Qui vult omnes homines saluos fieri . Magnum est argumentū pietati repositam esse vitam in futuro, quod tam constanter, tot labores sustinent sancti , vt in pietate permaneant. Vnde martyrium siue testimoniū vocatur mors pro pietate. Sic in epistola ad Corinthios probat Apostolus resurrectionem ex quotidianis periculis quæ subibat, et ex pugna quam Ephesi habuerat, quæ nihil ei profuisset, si more pecudū homo interireret. Sic dicit martyr Iustinus lib.4. eccles. historiæ cap. 8. Nam et ego ipse sectis Platonicis institutus audiens infamari Christianos , et videns eos impavidos ad suscipiendam mortem atq; omne supplicium tolerandum, considerabam, quod impossibile esset in malitia eos et in libido conuersari . Quis enim aliquando voluptuosus et luxurijs deditus , et qui humanis carnibus vesci delicias putet, mortem libenter amplectitur, quo scilicet ipsa confessim careat, pro qua infirmari maluit voluptate, quinimō vivere perpetuō si liceret, et latere iudicia in

hoc

hōc magis operam daret, nedum semetipsum statutæ ac professæ morti studeret offerre? Sic & August. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 6. Quis (inquit) prohibitus est, aut Romulum aut Herculem aut alios tales homines deos dicere ? & mori maluit quam non dicere, aut verò aliqua gentium coleret inter deos suos Romulū, nisi Romani nominis metus cogeret? Quis porrò enumeret quam multi, quātlibet sauitia crudelitatis occidi, quā Christum Deum negare maluerunt.

Præcipe hac & doce , omnia videlicet quæ supera scripsi, de mysterio, de hæresibus, de pietate, etc. præcipe & impera sciéribus, doce ignorantibus, præcipe ne manifesta mala committat, doce ut maiora bona amplectatur, largas elemosynas, virginitatem, ieiunia, defensionem fidei, etc. Sic tres Græci.

Nemo adolescentiam tuam contemnat . Chrysostomus hæc dupliciter interpretatur. Primo, non sinas te, quamvis iuuenis sis, cōtemni, sed authoritate & imperio vtere , p̄fserit vbi non propria persona iniuria tantum fit, sed & aliorū salus turbatur. Secundo, ita sis moribus maturis & grauibus, vt ob defectū ætatis non contemnaris ut leuis & imprudens iuuenis. Posteriorem hunc cōmentarium habent Ambrosius & Pelagius, qui & magis quadrat cum eo quod sequitur. Sed exēplum esto fidelium. For-

P ma sis

ma sis ad quam exprimuntur imagines: præcede tanquam quem ceteri imitentur, tanquam lex & regula animata, quia sicut Hieron. dicit in cap. 3 epistolæ ad Titum, vehementer destruit Ecclesiâ Dei, laicos meliores esse, quam clericos.

In verbo, in doctrina. Sic Chrysostomus, vt docendo scilicet alios ædifices, in conuersatione, id est, consuetudine vita & quotidianis actibus: Vt sis sermone prudens, vigil, sobrius, vanitatum contemptor, orationi deditus. In charitate, erga omnes. Theophilactus & Oecumenius legunt hic, in spiritu: Et interpretantur, in spirituali ordine, statu, & charismate spiritus, ne ex hoc extollaris, hoc est, agnosce ista esse dona spiritus. In fide, recta, qua quis Deo credit etiam de impossibilibus. Aliter, in fide, ne misceas Iudaica vel philosophica. Præbetur exemplum fidei, dum quis recta dogmata tradit, Catholica Ecclesiæ ritus magnificat, & reuerenter obseruat, dum etiam in summo malorum Deo fidit, & per eum se solatur: dum carnalium & infidelium argumētis, nec ad falsa dogmata mutabūdus declinat, nec spem suam æternam caducis commutat, In castitate, siue vita puritate.

Dum venio. Verisimile est Timotheum tanquam orphanum optasse aduentū Pauli. Consolatur igitur eum, & spe aduentus, & consolatione

latione scripturarum, Attende lectioni, scilicet scripturarum veteris testamenti & euangelij, si quod tunc extabat. Hæc si Timotheo præcipit, quid nobis faciendum? Quantum certè malorum in Ecclesiâ inuexerit scripturarum neglectus quis non videt? Exhortationi, ad bona agenda. Vtrunq; donum vult habere episcopum. Nam duo dona esse docet ad Rom. 12:

Noli negligere gratiam, &c. donū, doctrinam hic intelligit. Hæc data est ei cū episcopus fieret, Per prophetiam, reuelate Spiritu sancto eum idoneum, & eum consecrari iubente. Cum impositione manuum. Simul infusa est doctrina & ordo, vel saltē tunc dicitur doctrina data, quia tunc reuelatum est donatā eam illi esse à Deo. Sic Theophilactus. Ambrosius per gratiā intelligit officium & ordinem episcopi, & hæc data est, & Deo reuelante atque iubente, & episcopo, seu potius episcopis manum imponentibus. Vt enim Chrysoft. in hūc locum dicit, non de presbyteris hoc in loco, sed de episcopis loquitur. Neque enim profectò presbyteri eum ordinārant. Cyprianus epist. 11. lib. 3. presbyterium vocat cœtum presbyterorum, quanquam & quinq; episcopos dicat adfuisse in eo presbyterio. Potest igitur & hic esse sensus: Impositione manuum facta in cœtu presbyterorum, sic tamen vt episcopi adessent ordinantes, sicut et hodie cum episcopo suffraganeo

ganeo in sacerdotes ordinandis plures inferiores presbyteri etiam manus imponunt. Cōcil. Carthag. 4. cap. 30. Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super caput tenente, etiā omnes presbyteri qui praesentes sunt, manus suas iuxta manus episcopi super caput eius teneant. Deniq; potest presbyteriū intelligi ordo ipse presbyteratus, vel episcopatus datus per manus impositionē. Sic videtur Ambros. intelligere, maximē in cap. 1. 2. ad Timotheum. Item Glossa ordinaria. Pelagius intelligit donum prophetiae Timotheo datum fuisse in ordinatione. Illud, cum, comitem designat. Chrysost. qui tamen eandem dictiunculam in 1. cap. huius epistolæ, cum fide et dilectione, pro per interpretatur, ut et Ambros. hoc loco. Satis Pulchre Ambrosij commentarius in hunc locum consentaneè ad cæremoniæ, quas nunc etiam ecclesia seruat, interpretatur manus impositionem: et videatur meminisse formæ illius, qua dicit episcopus, accipe potestatem offerendi pro viuis et mortuis in nomine domini. Manus, ait, impositionis verba sunt mystica, quibus conformatur ad opus electus, accipiens autoritatem, teste conscientia sua, ut audeat vice domini sacrificium Deo offerre. Hic annota quod manus impositionem vocat verba, vti et concilium Mileitanū cap. 12. vbi sic habet: Placuit etiam et il-

et illud, vt preces, vel orationes, seu Missæ que probatae fuerint in concilio, siue præfationes, siue commédationes, seu manus impositiones ab omnibus celebrétur, etc. Quod ideo annontandum puniti, ne quis per manus impositionem in Actis, dum de confirmatione agitur, et in hac epistola de ordinatione mox intelligat, nudam manus impositionem, alio nullo adhibito: aut ne quis putet cæremoniæ Ecclesiæ alias nunc esse in sacramentis, quām Apostolicis fuere temporibus. Apostoli enim, vt Dionysius in fine ecclesiast. hierar. dicit, studiosè formas sacramentorum infidelibus tacuerūt, et sic in scripturis explicuere, vt et fideles sat is intelligerent, et nō nisi ipsum externum et crassum signum, quod infideli sensibus expositum erat, proderent: vt sacramētū baptismi vocat baptismū siue lotionem, non quasi sine Trinitatis invocatione sacramētū esset. Ordinationē vocat manus impositionem, sicut et confirmationē, tacitis sacrationib; verbis, cæterisq; adhiberi solitis: Communionem, fractionem panis: Diaconatum, ministerium viduarum & pauperū. Hic si quāras, cur manus imponatur ordinandis & confirmandis: Respondeo videri id sumptum, tum ex veteri scriptura, vbi Moyses manus imposuit filio Nun, cum ordinaret eum ducem populo. De quo Deuter. 34. dicitur, repletus est spiritu sa-

IN I. AD TIMOTHEVM

Matt.19. plétiæ, quia Moyses posuit super eum manus; tum à Christi exéplo qui parvulis manus im-
Luc.24. posuit, & eleuatis manibus ascendens suis be-
nedixit, significans plurima se eis de sua pleni-
tudine largiri. Cum igitur & in confirmatione
largitas spiritus, & in ordinatione potestas su-
per alios detur, nō absurdè manus imponitur.

*Hæc meditare, exerce, in his esto: Ut profectus
tuus manifestus sit omnibus.* Græcè est in omni-
bus, siue hominibus, siue rebus, hoc est, tam
doctrina quam vita. Posterioris Chrysostomo
placet. Pietas enim episcopi & eruditio sem-
per omnibus debet lucere.

Attende enim tibi, &c. Inculcatio est eiusdem,
quia quod dicit Apostolus, maximè cupiebat,
esse commendatum. Illud, enim, non est in Græ-
cis, *Tibi, ut rectè viuas, & doctrinæ, ut alias insti-*
tucas. Insta, persiste & persevera, in illis, nempe,
ut sis forma fidelium, intètus lectioni, exhor-
tationi, doctrinæ.

Hoc enim faciens, & te ipsum, &c. Siquidè alios
adhortando etiam is qui adhortationem facit
compungitur, & utilitatem accipit, erubescēs
in his fieri obnoxius, à quibus alios deterret.
Saluum facies. Si quis dicitur in scripturis seip-
sum saluum facere bene agendo: & alios pro-
ponendo illis doctrinam euangelicam; quāto
magis saluare dicitur, pro quibus orat ac salu-
tē impetrat: qua ratione Ecclesia dicitur ma-
ter fi-

C A P V T V.

108

ter filiorum promissionis, imò quilibet fidelis
mater est Christi, eum per charitatem spirita-
liter in aliorum cordibus pariēdo. Non est igi-
tur quod quis offendatur, si Maria dicatur vita
& spes nostra, cū & saluatrix appellari possit.

Vide c. 5.
li. de san-
cta virgi-

IN C A P V T Q V I N T V M.

Eniorem ne increpaueris, &c. Parti-
culatim exequitur quid Episco-
po incubat. Et in primis quidem
monet ætate gradiiores reueren-
ter admonendos esse. Sed dicit
B. Gregorius (id quod & Haymo annotauit)
quod licet Apostolus dicat, Seniorē ne incre-
paueris, senior tamen stultus vehementer est
increpandus.

Obscra. Potest intelligi adhortare, quod se-
quentibus magis cōuenit: & vult omnes blan-
dè sine austerritate, non imperiosè admoneri.
In omni castitate. Hoc circa iuuenculas obser-
uari præcipit, quia facillimè episcopus etiam
sanctè eas admonendo, castitatis iacturam fa-
ceret. Vnde Synodus Nicena prohibuit cap. 3.
omnibus episcopis & sacerdotibus atque cle-
ricis, ne secum retineat extraneam mulierem,
sed tantum matrem vel sororem, easque per-
sonas, quæ suspitiones effugiunt. Et Hieron. ad
Nepotianum de vita clericorū. Hospitiolum
tuum, inquit, aut raro, aut nūquam mulierum

P 4 pedes

pēdes terāt. Omnes puellas & virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites: nec in prēterita castitate cōfidas. Nec Sampsonē fortior, nec David sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memēto semper quod paradyfi colonum de possessione sua mulier eiecerit. Ægrotanti tibi sanctus quilibet frater assistat germana, vel mater, aut probate quilibet apud homines fidei. Quod si huiuscmodi non fuerint consanguinitatis castimoniæque personæ, multas manus nutrit Ecclesia, quæ & officiū præbeant, & beneficium accipiant ministrando: vt infirmitas quoque tua fructum habeat eleemosynæ. Scio quosdam conualuisse, & animo ægrotare cœpisse, periculosè tibi ministrat, cuius vultū frequenter attendis. Si propter officium clericatus aut vidua à te visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas. Talēsq; habeto socios, quorum contubernio nō infameris. Et paulò post: Solus cum sola, secretò & absque arbitris ne sedeas. Si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem maiorē dominus: virginem, viduam vel maritatum: nō est tam inhumana, vt nullā præter te habeat, cui se audeat credere. Cae omnes suspiciones: & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita.

Viduas honorā, id est, sustenta oblationibus,
sicut

sicut Matth. 15. exponitur honor esse subsidiū. Chrysost. tamen etiam honorem simpliciter intelligit. *Quæ vera viduae sunt.* Explicat apostolus quæ sint veræ viduæ paulò inferius. Pro huius loci intelligentia nosse oportet veteres historias. In primis autem videntur non viduæ simul vixisse, sicut nunc in monasterijs viuunt, & hoc satis indicat Apostolus, dum dicit quasdam earum solitas vagari per domos. Et Chrysost. lib. 3. de dignitate sacerdotij hoc idē testatur. Imò & virgines sacræ antiquitus esse solent, quæ simul non viuebant. Vnde in concilio Cathaginensi 3. cap. 33. dicitur, vt virgines sacræ si parétabus quibus custodiebātur priuatæ fuerint episcopi prouidentia vel presbyteri vbi episcopus absens est, in monasterio virginum vel grauioribus fœminis commendentur vt simul habitantes inuicem se custodiant ne passim vagantes Eccleſiae lādant opinionem. Secundo vovebant castitatem: vnde infra Apostolus dicit primam fidem irritam fecerunt, quemadmodum eo loco explicabitur. Tertio deligebantur ex eis quædam, quæ docerent imperitas mulieres, & baptizandas præpararent: vt suprà circa illud, Mulieres similiter pudicas, ex Epiphanio & cōcilio 4. Carthag. ostēsum est. Quarto alebantur ex ecclesiæ oblationibus, vnde ait Apostolus, vt eis quæ veræ viduæ sunt sufficiat, vt nō graue-

I.

II.

III.

IV.

grauetur Ecclesia. Vnde Papa Cornelius scribit in lib.6.ecclesiast.histor. Eusebij cap.33.loquens de Nouato: Is ergo, qui euangelii vendicabat, nesciebat in Ecclesia Catholica vnum episcopum esse debere, vbi videbat presbyteros esse 40.& sex diaconos: septem subdiaconos:7.acolytos:42.exorcistas,& lectores cum ostiarijs 52.viduas cū indigetibus mille quingentas, quas omnes alit Deus in Ecclesia sua, Act.8. hoc satis indicatur. Sicut enim Græci recte interpretantur, agitur de ministerio, quo ministrabatur viduis ex cōmuni eleemosyna.

- v. Quinto erant vulgo honorabiores propter maioris sanctitatis professionem: Vnde in 3. collecta in die Parasceues, quo oratur pro omni gradu Ecclesiaz, præmissis clericis & cōfessoribus atque virginibus, fit mentio viduarum, ac deinde totius populi Dei. Sexto cura earum erat penes episcopum, vt hoc loco patet: Et apud Chrysost.in lib.3. de dignitate sacerdotij. Septimo tempore D. Augnstini & Innocentij Papæ habebant distinctum habitum. Vide epistolam August.190.ad Edicxam & cap.104. concilij 4. Caithaginensis, quod etiam Dionysius Areopagita cap.6.ecclesiast. hierar. in monachis factū testatur. Nec id mirum, cum eriam Genesis 38. & in libro Iudith legantur, & tunc fuisse distincti viduarum habitus. Hæ autem viduæ earumque institutum statim
- vi.
- vii.

statim in Ecclesia multiplicatum est, quod in veteri etiam testamento idem obseruatū fuifet, vt patet ex libro Iudith, & Luc.2.de Anna prophetasse. Progressu verò temporis inualescente religione multiplicata est et virginitatis professio: De huiusmodi igitur Deo dicas viduis locū hunc intelligit Chrysostomus. Vnde statim quæstionem mouet, dicens: Cur obsecro nihil de virginitate differuit, neq; ait: virgines honora? Ut equidem reor virgines tunc fortasse non erāt (sicut Ephesi) aut etiam proposito virginitatis exciderant. Et subdit: Quæ vera vidua sunt. Ergo (inquit Chrysost.) datur intelligi fieri posse, vt aliqua sit quæ virum non habeat, nec vidua tamen sit. Quemadmodum enim virginem non hoc facit, ignorare viri concubitus, sed & alijs virtutibus plurimi illi opus est ad promerendam veræ integritatis laudem, vt scilicet sine quærela sit, & diuinis rebus intéta, domino semper assideat: ita & in viduitate magna honore necessario indigent. Sic & Ambros: Has viduas dicit honoradas, quæ data opera viduæ sunt: quæ cum possent nubere, vt meliores essent & dignæ Deo secundas nuptias respuerunt, scientes semel benedici coniugium: & mulæ sanctissimæ Annæ, quæ ieunijs & obsecrationibus Deo seruiebat, noctu diéq; ynius viri experta coniubium. Sic & Pelagius illas veras viduas esse defini-

Cap.3.li.
2.Macha.

Luc.2.

definiuit, quæ vniuersis curis exutæ sunt & ab omnibus desolatæ. Si qua autem vidua filios. aut nepotes habet, &c. Hæc non est verè vidua, etc.

Discant. Græca vox potest verti doceat, scilicet filios & nepotes. Sic enim singulari numero legit Chrysostomus & Pelagius: ut sensus sit; prius probata sit vidua, & antequâ Ecclesiæ sit vidua, piè tractet domum suam, filios atque nepotes re&cè insitruat, & faciat eis sicut ei factum est à suis parentibus qui eam educarunt. August. 9. Confessionum ca. 9. de matre sua loquens: Fuerat, inquit, vnius viri vxor, mutuam vicem paréribus reddiderat, domum suam piè tractauerat, in operibus bonis testimonium habebat. Nutrieran filios, totiens eos parturiens, quotiens abs te deuiiare cernebat. Postremò nobis domine omnibus qui ex munere tuo finis loqui seruis tuis, qui ante dormitionem eius in te iam consociati viuebamus, percepta gratia baptismi tui, ita curam gesit, quasi omnes genuisset ita seruivit, quasi ab omnibus genita fuisset. Theophilactus legit pluraliter discat, resertque ad filios & nepotes, & sic habent hodie Græca. *Regere,* Græcè est, εὐστέλη, hoc est (vt inquit Theophilact.) matrē senio confessam curare vel auiam: quâdoquidem diuina sit dignitas paratum: quemadmodum è diuerso impietas est senium nō curare. Quod ideo addit Theophila, quoniā εὐστέλη propriè

propriè sit Dei cultus. Oecumenius habet vtrunque sensum. Ambrosius videtur ita interpretari, vt illud domū suam regere seu piè tractare, pertineat ad viduam; Et vicem reddere, ad filios; quasi dicat: Si qua vidua habet filios & nepotes, discat primum, ipsa quidem, antequam alimentis Ecclesiæ digna habeatur, benè gubernare filios, & ipsi contra vicem paréribus reddere. Hieronymus ad Gerontiam. Viduæ (inquit) habentes nepotes & filios, filiorum & nepotum ceruicibus imponuntur, quibus imperat vt discat domum suam colere, & remunerari parentes, sufficientes eistribuere, vt non grauetur Ecclesia. Theophilacti & posterior Oecumenius sensus magis placet. Et illud, *primum*, rectè intelligetur, si aduertamus, quod etiam tunc filij & nepotes solicitabant episcopum, vt eorum mater vel auia ab ecclesia aleretur. Paulus mādat episcopo vt responderat: sustenta prius matrem tuam, & post vbi nutritre non sufficeris, ad Ecclesiam cōfugito.

Verè vidua est. Describit duabus notis quænā vera sit vidua: Primò quod videlicet omnino sit desolata, non habēs maritum, filios, vel nepotes, à quibus iuuetur. Vbi obserua Paulum alludere ad Græcam vocem χήρα, deductum à verbo χήρω, quod significat desolor ac orbo, sicut Latinis dicitur vidua à viduando siue desolando dicitur. Secundum est quod subiicit:

Sperat

Sperat in Deū, & instat siue perseverat in orationibus die ac nocte. A solo, inquit, Deo pendet, & illi toto animo deuota est : Ea demū est vidua Christiana. Sperat & instat. Sic legūt hodie Græci. Chrysostomus quoque & Ambrosius & Pelagius. Et hic videtur verus sensus, quia Apostolus non præcipit, quid agere debant, sed quid agant veræ viduæ.

Nam que in delitijs est, viuens mortua est. Viuēs, ait, non viuit : viuēs corpore, non viuens Deō in anima. Quæ sub nomine viduæ, inquit Ambrosius, delitijs vacat, aut luxuriæ, viuēs mortua habēda est, quia imposturæ genus est aliud agere & aliud profiteri, non obsequia & deuotionem Dei, sed honorem viduæ volentes habere, cum nominis ipsius professio hoc indicet, quia spreto viro Deum elegit, cui seruiat tota mente propter vitam promissam. Sic & Chrysost. qui dicit Paulum hoc adjicere, quia multi viduitatem amplectuntur, vt liberius voluptatibus vacent. Et adjicet: Si vbi & ætas & sexus infirmior est, delitiæ ita prohibentur, quippe que mortis authores sunt, & mortis & æternæ: quid dicturi sunt viri, qui se delitijs soluunt. Quid Paulus exigeret à sacerdotibus & clericis, si exigat à viduis, vt nocte & die instent, orationibus? Quod proculdubio facere nequeunt, si se voluptatibus donent. Debebāt autem viduæ sic instare orationi, vt redderent

vicem

vicem Ecclesiæ sese nutrīti, per orationes asfiduas. Illud, viuens, posset iungi cum in delitijs, & sic iungit August. in Psal. 9. Sed elegantius cohæret posteriori. Cypria. lib. 3. ad Quirinum cap. 74. legit, Quæ autem delicata est, viuens mortua est.

Et hoc præcipe ut irreprehensibiles sint. Ut, finem signat: & sensus est, præcipe viduis, vt vitent delicias, vel mundo mortuæ sint, vt nullus possit eas criminari vel reprehendere. Addit autem, & hoc præcipe: Nō enim sufficit te hæc nosse, sed eas tuum est assidue monere. Sunt homines inferioris gradus proni ad criminandum eos qui in superiori sunt. Viderunt Chrysost. indicare, quod viduæ aliquid peculiaris religiosis & obseruationis habuerint. Sic enim habet: Præcipe, inquit Paulus, nō vacare delitijs, quasi pro confesso malum perniciostimq; habeatur; quasi nephias sit, eum qui delitijs studeat, mysteriorum esse participem. Sic & Ambrosius. Amota, ait, vidua à spe mundanæ conuersationis & corporis curādi officio, propter hoc se ad Deum contulit, vt probabilem agat vitam. Hoc loco latens venenum habet Pelagi commentarius, posse videlicet quenquam in hac vita sine peccato esse, cum non quodlibet peccatum, sed graue tatum hominē reprehensibilem faciat. Norandum, inquit, irreprehensibiles eas tam posse, quam esse debere.

Si quis

Si quis. Erasmus verrit. Si qua, vt ad viduam referatur, vr & Chrysostomus, Ambrosius, & Oecumenius. Si qua igitur vidua suorum, & maximè domesticorū eorum qui cum ea habitant, etc. Chrysostomus intelligit eos domesticos, qui ex eadem sunt familia, pro qua dominus ponit solet. Sunt amici multi, non consanguinei. August. tract. 116. super Ioannē & epistola ad Lætam refert etiam ad filios respectu paréatum, sicut & Theophila&t. & Pelag. interpretantur, qui sensus mihi magis placet, hoc pacto: Si quis fidelis nō habet curam suorum, & maximè eorum, qui suā familiā sunt, præcipue parentum, etc. Ita vt Paulus de filijs & nepotibus agat, qui parétes negligunt. Theophilact. notiē interpretatur domesticos fidei, est, fideles. Similiter Cyprianus, qui libro 3. ad Quirinum cap. 75. sic habet: Suorum & maximè fidelium curam plus vnumquenque habere debere. Item ad Timotheū 1. Si quis autem suorum & maximè domesticorum non agit curam, fidem denegat, & est infideli deterior. *Curam non habet.* Curā siue prouidentiam vocat, tam quæ est circa corpus, quam animā. Quam enim turpe est te extraneos docere, & tuos in errore relinquere? *Fidem negavit,* &c. Quemadmodum prius blādē eos hortatus est, quia hoc Deo placeat: ita nunc contrā terret ne quis præuaricetur. Obseruādum autem ne-

gatio-

gationem fidei in scriptura esse atrocis criminis nomen, & propriè perritiere ad apertā Dei blasphemīa, vel ea facta, ex quibus Deus blasphematur, & ab eo verāq; fide homines auerteruntur. Hæc enim cum ad Dei abnegationem intendent, meritò negationes fidei vocantur, vt si quis inter gentiles constitutus, negligat parentes aut filios, aut si serui Christiani rebelles sint dominis, mox id in Christianam religionem reiicitur. Cum ergo apud infideles Christianus negligret, matrem senio cōfectam id negationi fidei par erat. Sic infrā de famulis dicit Apostolus, ne nomen domini & doctrinā blasphemetur. Contrā is factō confitetur, qui ita viuit vt ex eius exemplo ad fidem alij trahantur, aut in ea conſirmentur. Qui enim religionis alicuius cognoscendā studiosi sunt, sed & facta exquirunt, non solum verba. Sic qui præsentibus Lutheranis & cuius sit fidei obseruantibus, feria sexta carne vescitur, factō Catholicam fidē negare videtur. Rectius autem energiam Apostolicā sententia intelligemus, si meminerimus nomen negationis in primitiua Ecclesia scholæ vocem fuisse, vt nomen testis ac cōfessionis, sicut Ioan. 1. legitur: Confessus est, & nō negauit. cum tamen negatiuē dixerit, Non sum Christus, non Helias, non Propheta. Chrysostomus: Quam latē (ait) patet detractionis locus; dicentibus Gentibus

Q

Chri-

Christianos sine affectione esse, qui despiciant suos. *Et est infidelis deterior.* In hac scilicet re, quia infidelis naturalem affectum habet erga suos, & in hoc legem naturæ non violat, item quia infidelis etsi peccet, nescius peccat, fidelis sciens.

Vidua eligatur. Græcæ est allegetur, siue catalogo adscribatur, in numerū redigatur. Et hoc dupliciter potest intelligi, primum inscribatur catalogo viduarum, siue in ordinē viduæsem. Sic Chrysost. Theophil. Oecumenius, & Ambrosius. Pelagius intelligit de electione, vt sint diaconissæ, de quorum ministerio Epiphanius & synodus Carthaginæ. vt suprà allegauimus: Ignatius quoque & Nicena Synodus. Tertullianus in lib. de velandis virginibus, sic haberet: Scio alicubi virginem in viduatu ad annis nondum viginti collocatam; cui si quid refrigerij debuerat episcopus, aliter vtiq; saluo respectu disciplinæ præstare potuisset, ne tale nunc miraculum ne dixerim mōstrum in Ecclesia denotaretur virgo vidua, hoc quidem portet uosior, quod nec qua vidua caput texit, vtrunq; se negas & virginem qua vidua deputetur, & viduam qua virgo dicatur, sed ea authoritate illuc sedet intecta qua & virgo ad quam sedem prater annos sexaginta non tantum vniuira, id est, nuptæ aliquando eliguntur, sed & matres & quidem educatrices filiorum, scilicet ut expe-

experimentis omnium affectuum structæ facile norint cæteras & cōsilio & solatio iuuare, & vt nihilominus ea decucurrint, per quæ foemina probari potest: Adeò nihil virginæ ad honorem de loco permisum est. Et libro i. ad uxorem. Quantum fidei detrahant, quantum obstrepan sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ & præscriptio Apostoli declarat, cum bigamos nō sinit præsidere, cum viduam allegi in ordinationem nisi vniuiram nō concedit, aram enim Dei mūda proponi oportet. Hic Tertullianus viduatū vocat ministerium iuuandi consilio & solatio reliquas mulieres. De quo ministerio in concilio Carthaginensi, vt suprà citato. Viderur etiam Epiphanius in hæresi Collyridianorum hūc locum de diaconissis intelligere. Diaconissas, inquit, appellauit ecclæstasticus ordo viduas, & ex his adhuc seniores aniculas. Vbi ostédit non quasvis viduas diaconissas appellari, sed tamen seniores. In Synodo Laodicæna cap. ii. decernitur: Mulieres quæ apud Græcos presbyteræ appellantur, apud nos viduæ seniores, vniuira, matricuria, in Ecclesijs tanquam ordinatas contui non debere.

Non minus sexaginta annorum.. Notum est cur hoc exegerit in præficiëda. Ac secundum primam expositionem hoc exigitur, quia à talibus non est periculū incontinentia. Sic Chrysost.

ostomus, Causam, inquit, posteā ponit, non à seipso, sed ab ipsis viduis inuestam, Thomas quoq; raliam adiicit: quia aliz possunt manuum labore, sibi victimum acquirere. Et Hierony. ad Saluinam. Sed contra istam expositionem ob- iicitur: Nunc in ipso seruore ætatis recipiuntur virgines ad continentia professionem, igitur peccatur in præceptum Apostoli. Respon- det ibidem Hierony. Nec te moueat (inquit) quod sexagenaria eligatur in viduam, & pures adolescentulas ab Apostolo reprobari. Et te crede: eligi ab eo qui discipulo dixerat, Nemo adolescentiam contemnat, non continentiam, sed ætatem. Alioqui omnes quæ ante sexaginta annos viduatæ sunt, hac lege accipient maritos: Sed quia rudem Christi instituebat Ecclesiam & omni ordini prouidebat, præcipueq; pauperibus, quorū ei cura cum Barnaba fue- rat demadata. Illas vult ecclesiæ opibus suste- tari quæ proprijs manibus nequeunt laborare, quæ veræ viduatæ sunt, quas & ætas probat, & vita. Sentiit igitur Hierony. licere minores sus- cipi ad professionem castitatis, & si non ideo, vt alatur ecclesiæ opibus. Et deinde si ita con- tineantur in monasterio, vt ad viros euagandi occasionem non habeant.

Quæ fuerit viius viri vxor. Id tanquam argu- mentum continentia & castitatis sumitur. Sic Græci exponunt. Glosa interlinearis, Lombar- dus,

dus, Dionysius Carthusiensis atque Catarinus retinent hic etiam rationem sacramenti: Sed reiicit hoc D. Thomas. Certè videtur & hic posse ratio sacramenti retineri, eam videlicet non esse vel præficiendam viduis regendis, vel ab Ecclesia alendam, quæ in matrimonio suo repetito non signarit Christi Ecclesiam. Et vi- detur id satis consonum verbis Leonis suprà citatis de episcopo vnius vxoris viro: vbi ma- ritum vidua reiectum intelligit. Mirum cur hæc Thomas reiicit: Certè in additionibus 3. partis quæst. 63. i. artic. ad 2. hæc extant ver- ba: Secundæ nuptie carét honore significatio- nis, quæ est in primis nuptijs, vt vna sit vnius, sicut est in Christo & Ecclesia. Et artic. 2. ad 2. Secundæ nuptiæ cum vidua nubit non est ple- na significatio, cum non sit vna vnius. Et ra- tione huius defectus benedictio à secundis nuptijs subtrahitur. Sed Thomas Glosam for- tas intellexit tanquam quæ de sacramento lo- queretur à muliere administrando. Repe- tendū hic est quod suprà annotauimus viduas olim cæteris honoratores fuisse: sed in primis vniuiras. Vnde Hilarius in Psal. 13. Quæta (ait) viduarum dignitas est, & honesta vnius thorii conscientia, & felicis continentia indemutata constantia. Sic Judith laudatur vt vniuira. Et Iudit. 15. Ambros. in libro de viduis circa principium: Neque vero, inquit, si qua in secundas nuptias

Q. 3 incide-

inciderit quasi fructu pudoris amissio, si rursus soluta fuerit viro ab affectu viduitatis arceretur: Habebit illa quidem vel seræ meritū castitatis, sed probatio erit quæ alterius non fuerit experita connubium. In illa enim eminet studiū castitatis: Huic aut senectus, aut pudor modum videtur fecisse nubendi. Ambrosij commentarius in illud, Quæ veræ viduæ sunt. Has viduas dicit honorandas, quæ data opera viduæ sunt; quæ cum possent nubere, ut meliores essent & dignæ Deo, secundas nuptias respuerunt, scientes semel benedici cōiugium æmulæ sanctissimæ Annæ. Sicut igitur virgo semel corrupta non habet excellentiam virginitatis, ita vidua biuira non est eminentia coram hominibus in viduali castitate. Contingit tamen sanctiorem esse biuiram & castiorem vniuira, ut pulchrè Aug. ostendit lib. de bono viduitatis cap. 13. & 14. Caluinus similiter intelligit hunc locum atq; Catholici, pro ea quæ tota vita vnicum fuerit maritum experta. Et addit pro ratione: quia habetur hic, Quæ fuerit vnius viri vxor, non quæ sit. De episcopis idē negat esse sentiendum, quia ibi habeatur, Opertet episcopum esse vnius vxoris virum. O bellam concordiam. A vidua eleemosynis Ecclesiæ aliena exigit Apostolus, ut tota vita vniuira fuerit: & episcopum admittet bigamum & trigamum? An maior continentia ab infirmiori sexu, & laica

& laica, quā à prælato ecclesiæ exigitur? Aperiuitse commentarium, refutasse est.

In operibus bonis testimonium habens. Certè hęc quæ sequuntur cum paria sint ijs in multis, quæ ab episcopo exiguntur. Videtur ad perfectam viduam & cathecistā pertinere. Explicat opera bona per exempla. *Si filios educavit*, ad pietatem scilicet. Græcè est, liberos educavit, vt etiā filiæ comprehendantur. Est vna dictio Græcis, ut & sequens. Videtur notare eas, quæ proles suas aut non ipsæ nutriunt, sed nutritibus tradunt, aut non ad pietatem educant.

Si hospitio recepit, si hospitalis fuit. Magna virtus & in primitiva ecclesia admodum necessaria, cum publica diuersoria plena essent idolatris, nec extarent loca, quò pauperes possent diuerrere. Magna nunc etiam virtus est domi suæ fouere pauperes, quam & tenues viduæ præstare possunt. Quid, inquit Chrysostomus, si pauper illa sit? Non sic quidem hisce muneribus fungi desistat: neque enim est illa pauperior, quæ duos obolos sacris thesauris Marc. 12. ingessit. Nam licet pauper sit, habet tamē admodum, non enim sub diuo manet. Sed rari sunt admodum, & vix vlli, qui hoc per se præstent. Malunt enim legere aliquid testamento post ipsorum mortem ab alijs distribuēdum, quam ut per se ipsi viventes hoc faciant. At Apostolus vult viduas in domum suam sanctos rece-

Luc. 11.

Q. 4 pisse:

pisse: imò & amplius: *Si sanctorum pedes lauit,*
sanctorum, id est, Christianorū. Hoc officium
seruile in speciem ac sordidum à viduis tamen
Apostolus exigit. Nō permittit (ait Chrysost.)
huiusmodi obsequia ancillulis imperari, sed ip-
sas per se ministerium illis ferre iubet. Moris
erat ijs in regionibus pedes lauare. Vnde Iu-
cæ 7. dicit Christus Simoni: Aquam pedibus
meis nō dedisti. Et ipse Apostolorum suorum
pedes lauit. August. tract. 58. in Ioanné: Apud
sanctos, inquit, ybicunq; hæc consuetudo non
est, quod manu nō faciunt, corde faciunt. Mul-
tò autem est melius & sine controversia ve-
rius, vt etiam manibus fiat. Nec dignetur
quod fecit Christus, facere Christianus. Cum
enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam
in corde ipso vel excitatur, vel si iam inerat,
confirmatur humilitatis affectus. Sub vno in-
telligit reliqua. Si extrema ministeria sanctis
*sine rubore exhibuit. Oecumenius ex Cle-
*mente. Si tribulationem patientibus submini-
*strauit, Si pecunijs iuuit & tutata est, si conso-
*lata est, si vincit compassa est.****

Si omne opus bonū subsecuta est. Chrysost: Cor-
porale, inquit, ministeriū est, omne quod præ-
cipit. Sunt enim mulieres huiusmodi obsequijs
in primis idoneæ, lectulum sternere, & fouere
ministerio. Notanter dicit, subsecuta est, siue
prosecuta. Quanquam enim facultas desit ad
operan-

operandum, adest tamen administradum. Sic
Oecume. & Theophilact. Et si ipsa exequi id
opus niequit, alteri tamen rectè operanti bona
præsentia cōmunicauit. Sic Chrysost. et si enim
id exequi ipsa non potuit, particeps tamen ac-
cessit, & ministerij consors.

Adolescentiores viduas deuita. Ex præcedenti-
bus posset videri intelligere minores quam
*sexaginta annorum: at ex sequentibus, vbi di-
*cit, Volo iuniores nubere, de iuuenculis loqui vide-
tur. Non enim Apostolus exigit vt quinqua-
genaria aut circiter nubat. Sicut enim suprà
expositum est, sexagesimū annum exigit, vel
*quia præesse debeat, vel quia ad illud vsq; tem-
*pus ad viçtum conquirendum ipse sibi suffi-
cere possunt. Græca vox etiam positivè accipi
*potest pro iuuenculis, vt cùm suprà dicit, Iu-
uençulas vt sorores. Sic enarrant commenta-
*tij, vt iñfralatiū patebit. Deuita, reijce, ne ad-
mittas ad catalogum viduartum, quia non sunt
*admitterendæ ad professionem & votum casti-
tatis. Ambros. Prohibet, inquit, adolescentulas
viduas in hac suscipi professione. Sic Chrysost:
& alij duo Græci. Mouent enim quæstionem
cur de virginum ætate nihil præcipiat. Et re-
*spondet quia virgines maiore deuotione vir-
*ginitatem amplexæ sint: Viduæ, ex quadā ne-
cessitate castitatem viduale. Rursum quia vi-
duæ quædam lapsæ erant, quale de virginibus
*nihil**********

x.Cor.7. nihil dum tale expertus erat. Quæ expositio
mox clarior euadet. Quare nō arridet Pelagij
commentarius, qui sic habet: Deuita alijs mi-
nisterio diaconatus præponere, ne malum pro
bono detur exemplum.

Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo . Græca
nunc sic habent : Cum luxuriatæ fuerint ipsi
Christo,sine præpositione in , vt sit datiu*m* ca-
sus.In Christo,Haymo iungit cum nubere, &
ita interpretatur: Cum fuerint viduæ post vo-
tum castitatis & velamen fornicatæ cum ser-
uis vel alijs fornicatoribus nubere volunt in
Christo,id est, Christianum & fidelē maritum
accipere. Cyprianus quoque legit in Christo.
Similiter Ambrosius & Pelagius. Porrò præter
fensem Haymonis dupliciter exponitur istud,
Luxuriatæ fuerint Christo,vel in Christo. Pri-
mo,in bonam partem sic exponit Pelagius.
Cum (inquit) sub eo tempore religionis abun-
dantiam habuerint . Sic & Tertullianus lib.de
monogamia, quem contra Ecclesiam scripsit,
& conatur soluere locum istū Apostoli quem
citabant Catholicī secūdarum nuptiarum de-
fensores.Sed & Timotheo,inquit,scribēs vult
iuvenculas nubere,filios suscipere , matres fa-
miliæ agere. Ad eas dirigit,quales suprà deno-
tat iuvenculas viduas,quæ in viduitate depræ-
hensæ & aliquandiu affectatæ,postquam in de-
litij*s* habuerunt Christum,nubere volunt,ha-
bentes

bentes iudicium,quod primam fidem rescide-
runt,illam videlicet à qua in viduitate inuen-
ta & professæ eam,non perseuerant. Propter
quod vult eas nubere, ne primā fidem suscep-
ta viduitatis posteà rescindant, non vt toties
nubant,quoties in viduitate tentata,imò & in
delitijs habita , noluerint perseuerare. Posset
videri & Cyprianus sic intelligere,qui lib.3.ad
Quirinum cap.74. sic legit Apostoli textum:
Viduas probatas quasque honorandas, in epi-
stola Pauli ad Timotheum 1. Viduas honora,
quæ veræ viduæ sunt. Quæ attem delicata est,
vivens mortua est. Et iterum: Iuniores autem
viduas præteri. Cum enim indelicatae fuerint
in Christo nubere volunt habentes iudicium,
quoniam primam fidem exprobrauerunt. Hos
insequitur Faber Stapulensis. Quid est,inquit,
quando Christo delicatae fuerint, nisi quando
Christi delitijs vsæ fuerint?quæ sunt orare,Ec-
clesiæ & rebus sacris interesse,& insuper ex sa-
cris educari. Cum has tentauerit delicias, inci-
piunt plerunque iuniores viduæ illas fastidire
& nubere malunt. Secundum hos igitur sensus
est. Cum Christo fuerint coniunctæ tanquam
marito & eius vsæ delitijs,nubere volūt mor-
tali homini,ac priorem maritum fastidiūt. Est
igitur hic locus quoad delicias spirituales,simi-
lis illi ad Hebræos 6. Eos qui semel illuminati
sunt,gustauerunt quoque donum cœlestis,etc.

Viden-

Videndum quoq; studiosis , num supra quoq;
illud in descriptione veræ viduæ,Nam quæ in
delitijs est, viuens, mortua est , similiter in bo-
num accipi posit, vt sit sensus : Vidua quæ in
Christo deliciatur viuens corpore , morrua est
in mundo, nec delectatur rebus huius mundi, si-
c ut Apostolus Colossei. dicit: Mortui esis, &
vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.
Et Christo confixus sum cruci,etc.Certè Esa.
58. in bonam partem accipit scriptura delica-
tum: Si vocaueris sabbatum delicatum & san-
ctum domini gloriostum, vt non facias volun-
tates tuas in die sancto meo,etc. & si in Græco
habeatur ibi vox frequenter in malam partem
accepta.Chrysoft.& Theophil.& Oecumen.
intelligunt in malam partē. Cum cōtra Chri-
stum lasciverint, torpuerint, in delicias carna-
les resolutæ fuerint, superbierint, ferocierint
cōtra Christum (inquam) tanquam maritum
& sponsum.Hinc enim colligunt, quod vidua
Christum habeat, maritum.Chrysoft. Christo
igitur vidua in professione consentit. Hieron.
ad Gerontiam: Propter has, inquit, quæ forni-
catæ sunt in iniuria viri sui Christi (hoc enim
Græcus sermo κατασφριάσωσιп significat)
vult Apostolus alterum matrimonium: prefe-
rens digamiam fornicationi, secundum indul-
gentiam duntaxat, non secundum imperium.
Thomas intelligit, Cum habuerint tempora-
lium

Colos.

lium abundantiam per Christum.Sed priorēs
expositiones amplectendæ sunt.

Habentes damnationem, Græcè est iudicium:
quia primam fidem irritam fecerunt. Chrysoft. Fi-
dem pactum dicit. Contra veritatem, inquit,
mentitæ sunt, ipsum irritauerūt & foedera vio-
lauerūt.Oecumenius, pactum erga Christum
vocat, pactæ sunt enim quod Christo adiun-
gerentur, reiçiunt autem ipsum ad humanas
deuoluntæ nuptias . Theophilactus foedus ap-
pellat. Fefellerunt, inquit, pactum quod cum
Christo sposo fecerunt, ac propterea habent
condemnationem. Commentarius Ambrosij
sic habet: Quid maneat tales ostendit ne facile
audeant, quod implere difficile est, aut si ani-
mus est huic deuotioni deditus, apud se intre-
rim teneat, quia dicit temerarium esse profi-
teri, quod adhuc iuuenili ætati credi nō debet:
Damnationi enim fit obnoxius, qui ab hoc de-
clinat, quod recte fecerat.Basilius lib.de virgi-
nitate dicit virgines pasci & conuenta habere
cum Christo tanquam viro & sponso suo . Et
de ijs quæ votum hoc violat, dictū istud Apo-
stoli intelligi. Epiphanius in hæresi Montani-
starū, quæ est 48.recitatis his Apostoli verbis,
sic dicit: Quæ promiserunt & reprobauerunt,
iudicium habent: quæ vero non promiserunt,
sed coniunctæ sunt propter debilitatem, iudi-
cium non habet.Et in hæresi Apostolicorum: Hiero. 51
Si ita-

Si itaque, inquit, & ea quæ post mundi expérietiam vidua fuit, atque Deo dicata & posteā nupsit, iudicium & cōdemnationem habebit, quod primam fidem reiecit: quāto magis quæ citra mundi experientiam Deo dicata & virgo fuit, & nupsit, cōtra Christum lasciuijt, & maiorem fidē (hoc est, maioris rei promissionem, nam fides catholica eadem est & virginis & viduæ) reiecit, & iudicium habebit, velut quæ proprium erga Deum propositum relaxauit. Et post pauca subiicit: Melius est iudicium quam condemnatio. Qui enim ut ne confundantur apud homines, occulte scortantur, & sub solitudinis aut continentia specie libidinē exercent, non apud homines habent confessionem, sed apud Deum, qui nouit occulta, & redarguit omnē carnem in suo aduentu, prout quisque peccauit. Melius est itaq; vnum peccatum habere, & non plura. Melius est lapsū à cursu, palam sibi vxorem sumere secundūm legem, & à virginitate multo tempore pénitentiam agere, & sic rursus ad ecclesiam induci, etc. Similia habet August. lib. de sancta virginitate cap. 34. & lib. de bono viduita. cap. 10. Ac Cyprianus lib. 1. epist. 11. ad Pomponium. Nec usquam memini viduarum post votum matrimonium irritum dici. Innocentius 1. epistola 2. cap. 12. irrita docet virginū velatarum matrimonia, quia Christo nuptæ sunt: sicut &

Basil.

Basilius in lib. de virginitate: Et Bonifacius 8. regit ad professas in probata religione. At de non velatis virginibus cap. 13. dicit, quod peccant quidem contrahentes, sed ratum sit matrimonium. Vnde cap. 104. synodi Carthaginensis quartæ, cui August. interfuit, ubi sic legitur, Si quæ vidue quantumcunque in minoribus annis posite, & matura etate à viro relicte se deuouerunt domino, & laicali ueste abiecta sub testimonio episcopi & Ecclesiæ religioso habitu apparuerunt, posteā vero ad nuptias seculares transferunt, secundum Apostoli damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam domino voverunt, irrita facere ausæ sunt. Tales ergo personæ sine christianorum communione maneant, quæ etiam nec in conuiuio cum christianis cōmunicet: nam si adulteræ coniuges viris suis reatu sunt obnoxiae, quanto magis viduae, quæ religiositatem mutauerunt criminè adulterij notabuntur, si devotionem quam Deo sponte non coactæ, obtulerunt religiosa corrupserint voluptate, atq; ad secundas nuptias transitū fecerint? Hic non dicitur quod nuptiae sint irritæ, sed quod excommunicandæ sunt, ad certum scilicet tempus, donec publicam pénitentiam egerint. Et nomen adulterij impropiè accipit pro illicito concubitu, & sic consonat cum August. lib. de bono viduitatis. Ut ergo ad Apostolum redeamus,

mus, patet synodus Carthaginensis. 4. & Innocentium primum loco citato, de voto castitatis viduatis hunc locum intelligere. Manifesta est August. sententia lib. 1. de adulterinis coniugis ca. 24. Castitas, ait, & si qua alia sunt quæ rectissimè vountur, cum homines vouerint; nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine villa cōditione vouerunt, quia & hoc dominum præcepisse intelligendum est, ubi legitur: Vouete & reddite domino Deo vestro. Vnde Apostolus de quibusdam quæ continentiam vount & postea nubere volunt, quod eis antequam vouissent vtique licebat, habentes, inquit, damnationem; quoniam primam fidem irritam fecerunt. Idem lib. de bono viduitatis cap. 9. & in Psal. 75. eadem habet, ubi & suo tempore monasteria & vota fuisse significat, eadēmque ex Dei præcepto vim astringendi habuisse, ubi locum hunc Apostoli tractans nominatim voti meminit, quod & nomine propositi appellat. Sic Hierony. lib. 1. contra Iouianum: Si nupserit, inquit, virgo, non peccauit: non illa virgo quæ semel Dei cultui dedicauit: harū enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Si autem hoc de viduis dictū obiecerit, quanto magis de virginibus præualebit, cum etiam his non liceat, quibus aliquando licuit. Vide eundem epistola ad Furiam de viduitate seruāda:

Inno-

Innocentius primus epist. 2. cap. 13. Si, inquit, Apostolus Paulus quæ à proposito viduitatis discesserat, dixit eas habere damnationē, quia primā fidē irritā fecerūt, quāto potius virgines quæ prioris promissionis fidē minimè seruauerūt? Nomē fidei pro fidelitate in promissis accipitur ad Rom. 1. ex fide in fidē, scilicet Dei. Et: Rom. 3. Nunquid credulitas illorū fidē Dei euacuavit? Sed quomodo promissio hæc castitatis prima vocatur? Respondeo respectu posterioris, quā cū marito homine inire volūt contra primam promissionē. Sic Innocentius in citatis verbis: & August. cap. 8. lib. de bo. viduit. irritam, ait, fecerunt fidem quam prius vouerant. Commetarius Ambrosij aliter videtur intelligere. Nec ad veniam (inquit) debet pertinere, qui à primordio infidelis inuentus est. Intelligit ergo ille quod fides & sponsio à viduis reiicitur prima, hoc est, statim à primordio, nō diu post votum emissum. Examinetur num hic esse possit sensus: Damnationem habent primū, quia fidem reiicunt primò, deinde quia ociosè circueunt domos, tertio quia garrulè sunt, etc. Chrysost. Non huic (ait) tantum damnationi obnoxia sunt, sed & criminibus alijs. Sic & Theophilact. Potest etiā dici prima fides, non quia sequitur altera debeat, sed quia nihil eam in hoc spiritali matrimonio antecessit. Ab ipsa enim promissione incipit coīugium, ac subseq-

R. quittū

quitur deinde cōcubitus. Sic Aug.lib.de nuptijs & concup. cap.ii. Maria,inquit, coniunx Ioseph vocatur ex prima desponsationis fide, quam cōcubitu nec cognorat, nec fuerat ante cogniturus. Magister Sententiarū per primam fidem intelligit votum , castitatem , vel fidem baptismi,quā violari dicit voto violato. Brentius

Libr. 4.
dist. 8.

Posteriori-
ri part. 2.
perico-
pes fol.
1039.

in Apologia confessionis VVirtebergēsis, sic dicit: Nego apostolicis illis téporib⁹ suis
tale vouēdi genus, quale est apud sacrificulos
& fraterculos. Quomodo enim Paulus secum
ipse pugnaret. Scribit autē mox , Volo iunio-
res nubere,etc.& melius est nubere quam vri.
&c,nō vt laqueum vobis injiciā. Quid est aliud
non vt laqueum vobis injiciā, quam non
vt vota facienda exigam. Sunt enim talia vo-
ta quā hypocritæ excogitarunt inextricabiles
laquei, quibus conscientiæ hominum ita irre-
tiuntur, vt nisi verbo domini soluantur , non
inueniant quo euadāt. Non est igitur sentien-
dum quod Paulus nomine primæ fidei intelli-
git votum perpetui celibatus,quod magis se-
cundam quam primam fidem dixisset, sed in-
telligit pactum quod in baptismo iniri solet.
Intelligit ergo Brentius nomine fidei promis-
sionem in baptismo præstamat. Cum in baptis-
mo Deus nos recipit in gratiam(inquit paulo
superiùs) recepimus nos gratos fore,& ductu-
ros piam ac honestam vitam, hoc est pactum,
hæc est

hæc est stipulatio , qua Deus & homo inter se
conueniunt . Hanc stipulationem vocat Pau-
lus primam fidem . Cum autem primum non
solet dici nisi respectu secundi,& Paulus non
faciat expressam mentionem secundæ fidei,du-
biūm non est, quin ad secundam quoque respi-
ciat,quę solet præstari,cum quis ad publica of-
ficia aut alienam servitutem vocatur , vt mi-
nisterio & officio suo diligenter, pię & fideliter
fungatur. Et infrā: Sententia Pauli hæc est,quod
iuniores viduæ non sunt eligendæ in ministe-
rium ecclesiasticum , quia saginatę ecclesiasti-
cis facultatibus,solēt lasciare, impudicam vi-
tamducere, & scortari, adeoque eam fidem,
quam primam Christo nostro in baptismo de-
derunt violare. Quod si autē non seruant pri-
mam fidem, quam Christo de honestate vitæ
suæ dederunt, quomodo seruarent secundam
quam promiserunt hominibus,& qua recepe-
runt se officium suum summa diligētia & stu-
dio administraturas? Si violant fidem filio Dei
datam, quomodo non violarent fidē filijs ho-
minum promissam? Intelligit ergo Brentius
nomine primæ fidei promissionē in baptismo
præstamat; & pactū ibi initū. Et vocat eam pri-
mam fidem respectu promissionis quę homi-
nibus præstatur . Hæc duo paululūm excutia-
mus. Sed o Brenti, quomodo istæ lasciuentes
viduæ habent damnationem,quia nubere vo-

Iunt: nunquid in baptismo promiserunt se non nupturas? Hoc in tota tua expositione omittis. Dicis quod vidua istae saginatae lasciviant, scortetur, & pactum cum Christo in baptismo contractum violent, quodq; inde conjectare liceat infideliter eas in suscepso ecclesiastico ministerio, contrà quam promiserunt versaturas. Sed hic nihil audio de ijs verbis, Nubere volunt habentes damnationem. Scortando dicens & lasciviendo violent pactum cum Christo: Sed quid hoc ad id quod Paulus dicit, Nubere voluit, si ijs viduis tam integrum erat nubere, quam alteri cuius Christiano: Ergo idem dicere licebit de puella qualibet, lasciviente & impudicam vitam ducere, cum luxuriata fuerit, nubere vult, habens damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Atqui nos dicimus, cum lasciva puella fornicata fuerit & nubere voluerit, à damnatione recedit, quia à violatione voti in baptismo facti ad eius redit observationem. Imò Brenti hoc & tu dicens. Non irritam, sed potius ratam faciunt primam fidem, qui malunt abiectis vanis votis suis honestam uxoremducere, quam aut inhonestas voluptates sequi, aut foedis ac impuris cogitationibus indulgere. Hæc tu Brenti. Sed Paulus dicit quod vidua lasciva volēs honestum maritum accipere, haber damnationem, quod primam fidem irritam fecerit. Secundum tuam sententiam si-

tiā simili modo diceretur. Idololatra Christo initiari volens damnationem habet, quia Deo rebellis fuit: usurarius volens restituere, habet damnationem, quia iniquus fuit. Rectè igitur tibi dicimus ô inimice omnis iustitiae, non definis subuertere vias domini rectas. Dicis laqueum illum injicere, qui vota facienda exigit. Quod si intelligas, qui vota iam facta vult compleri, laqueū igitur iniicit, qui dixit: Cum Deut. 23 votuni voteris domino, nō tardabis reddere. Sed si intelligas, qui mādat vt quis voleat cœlibem vitam, verū dicens: sed sub specioso verborū inuolucro ac tinnitu vis persuadere vota esse impia. Sicuti non iniicit laqueum qui consulit virginitatem, ita nec ille qui consulit votum. Is laqueum iniicit, qui inuitum ad quæ non obligatur, adigit: aut qui quempiam decipit, vt in perniciem suā sponte incurrat. Atqui ad maius bonum inuitat is non illaqueat. De Apostolicis temporibus, potius veteribus, Areopagitæ, Chrysost. August. Basilio, Hieronymo, Ambrosio, Epiphanio, Innocentio, Tertulliano, & similibus credimus, quā tibi. Tu Deum nostrum idolis similem facis, de quibus scriptum est, Si quis illis votum voterit, & non reddiderit: neque hoc requirunt? Et tibi rectè dicat Deus ipse. Suscitauit de filiis vestris in Baruc 6 prophetas, & de iuuenibus vestris Nazareos, Amos 2. & propinabatis Nazareis vinum, & prophete-

tis mandabatis dicentes , ne prophetetis . Caluinus quoque de fide baptisni hūc locum interpretatur . Et à christianismo dicit viduas deficere . Sed nec ipse explicat , cur nubere volentes dicantur habere damnationem . Et vi-
dens se non posse bene elabi . Quod votum , in-
quit , perpetui cœlibatus hinc stabilire volunt
Papistæ , friuolum est . Ut demus , solitam fuisse
dilectis verbis interponi talem pactionem : id
ramen nihil ad ipsos . Et multis interpositis .
Nō edebat , inquit , in veteri instituto directum
continentię votum : quasi minus Deo placeret
vita cōiugalis , sed tantum quatenus exigebat
functio , ad quam eligebantur coniugij vincu-
lo se in totam vitam soluebant . Nec se priua-
bant nubēdi libertate , nisi cum nubere vel ma-
ximè liberis iam absurdum erat & intempesti-
uum . Deniq; tantum à monialibus differebant
istæ viduæ , quātum Anna prophetissa , à Clau-
dia vestali . In primo dicto Iouinianum agit : In
secundo cōtradicit Paulo dicenti iuniores ad-
missas ad fidem dādam , licet imprudēter , dam-
natas tamen , quia eam violārunt . In tertio di-
cto falsum habet . Nā Lucas testatur Annam
ieiunijs Deo latriam exhibuisse . Ipse autē di-
cit , In Papatu vouetur cōinentia , quasi virtus
per se Deo accepta esset . Est & alia exposi-
tio , qua dicuntur istæ viduæ habere iudicium ,
id est , repræhensionem , quia primam fidem
prio-

Luc. 2.

priori & defuncto marito datam irritam fa-
ciunt . Sed hanc reijcit Caluinus : & Paulo ad-
uersatur dicenti : Si dormierit vir eius , liberata ^{1. Cor. 7.}
est à lege viri . Cui vult nubat , etc . Brentius in
Prolegomenis suis aduersus Petrum de Soto , Fol. 161.
plus adjicit , & sic dicit . Paulus de mulieribus
loquitur , quæ orbatæ viris tradebant se in mi-
nisterium pauperum Ecclesiaz . Idque ea fide
tantum & promissione qua solent ancillæ fese
in ministeria dominarū suarū tradere . Hæ las-
ciuæ viduæ , de quibus scribit Paulus postquam
saginatæ essent facultatibus Ecclesiaz & me-
tuerent ne si nuberent , inferiori loco quam
antea inter christianos haberentur , maluerunt
à Christianismo prorsus deficere ad Ethnicis-
mum , quam inter Christianas contemptiores
esse . Hoc significat cum dicit eas lasciuissæ ad-
uersus Christum , & conuersas esse ad Satha-
nam . Sic igitur dicit Paulus secundum Bren-
tium , habet damnationem : Postquam propter
suam lasciuiam & scortationem apostatauerūt
à Christi fide volunt nubere damnationē ha-
bentes , quia à Christi fide defecerunt . O insig-
nem interpretationem . Cum Paulus liberum
reliquerit mulieri viduæ cui vellet , nubere : tā-
tum scilicet pauperum ancillæ probrum erat
nubere , ut huius infamia metu mallet apostata-
re & Gentili nubere , quā christiano ? O Bréti
si episcopus tunc coniugatus erat , cur quæso

R. 4 contem-

contemptui habebatur inter Christianos ancilla pauperum si nupta fuisset alteri ministerium cedens, quod iam coniunx facta ne quis set implere? Quanquam non omnes istas vi- duas quas reiicit Paulus à ministerio reiicit, sed tatum ab Ecclesiæ alimonia, & viduarum professione. Ministerium non erat omniū viduarum, sed vnius vel duarū. Et tale, quod ex Catholicis explicuimus. Qualis quoſo consequentia textus & verborū est? Postquā Christi iugum abiecerint, volunt nubere; cum nubere Christi iugo non repugnet. Nunquid recta est oratio & cōsequentia verborum, si dicā: Postquam quis à fide defecerit, vult facere quod sibi licet: Postquā puella vſq; adēd est scortata, vt pagana vel hæretica fiat, tunc vult nubere, hoc est, postquam homo ita indulxit ſuę cōcupiſcentię, vt Christum abijciat, tum demum rectè vult agere, & vitā ſuam bene instituere: tunc contemnit hominum probra, vt propter eos secundas nuptias amplecti nō omittat. At quandiu Christo adhærebat sola hominū probra ſtultaque vituperatio ab agendo quod ſibi per Deum licebat, & honestum erat, imò neceſſarium eum reuocabant. Sed cum Christi iugum excusserit, tunc honestatem vult amplexi nuptiarum. Qualis quoſo consequentia est & illa verborum Apostoli: Nubete volunt habentes damnationem, quod à fide Christi defece-

defecerint. Quid nuptijs ſanctis & honestis cum damnatione? Quid illi cum nubendi voluntate, qui in ſcortationibus cum damnatione vixit? Imò laſciua puella qua parte nubit, à damnatione recedit. Hæc portenta dicere coguntur, qui à recepta ſanctorum patrum interpretatione recedunt. Sed Brétius ad hunc ſenſum trahit Apoftoli textū, quaſi diceret: Cum ex libidine volunt nubere, & putant ſibi hoc effe indecorum, excutiunt Christi iugum. Cum contra dicat Apoftolus: Cum luxuriatæ fuerint, nubere volunt. Nos autem dicimus quod ſacerdotes & moniales postquam laſciuerint contra Christum, tunc querunt nuptias ſibi illicitas & Christo aduersantes & eas querendo atque volendo in damnationem incidūt, quia fidem prius Christo datam violant.

Simul autem & otioſe diſcūt circumire domos, &c.
Et aliud crimen, ait Apoftolus, adjiciunt: & in primis quidem otiantur, tum quia diuino timore vacuae orationibus non occupantur, nec domus cura tenentur, tum quia ſub viri potestate nō ſunt. Quoniā enim alimoniā ab Ecclesiæ accipiebat, liberè otibantur, pares ſe faciētes aniculis quæ laborare nō poterāt. *Diſcūt, affueſcent circumire.* Oecumenius: Mens, inquit, nobis ad operandum à creatore fabricata est: vbi ergo bonum opus ei non ſubministrauerimus, ipsa affuumit opera absurdā. *Circumire domos.*

domos. Vagæ nunc hanc domū nunc illam adibant, vnde liquet conclusas nō fuisse. Circumibant autem potissimum (vt testatur Ambrosius) locupletiorum domos, eoq; liberius, quo maioris sanctitatis professione commédabantur. Quædam (inquit) virginæ vel viduæ commendatæ professione (gloriosum enim est huius rei vocabulum) acceptabiles sunt domibus diuitiis, quæ id agunt ut pareant voluntatibus eorum, ambulantes & quærentes quæ perferrunt ad illos, quibus delectetur ut otiosæ munieribus afficiantur & malo more plus quærunt fabulas quam ut operentur manibus.

Sed & verboſa, nugaces, garrulæ: deferentes scilicet secreta & familiarum quas adibant arcana passim effutientes. Et curioſæ, inquirentes ea quæ ad se non pertinebant, aliena negocia noscendi cupidæ. Qui suam domum & suum officium negligit, libetissimè aliena curat atq; inquirit: Otium enim curiositatis mater est: curiositas garrulitatis. Percotatorem (ait Horatius) fugito, nam garrulus idem est. Hæc virtus mulieribus admodum familiaria sunt. Ignauæ enim sunt, nec libenter operantur: Curioſæ sunt, nec secretorum tenaces. Vnde tria hæc rectè coniunxit Apostolus agens de iunioribus viduis.

Loquentes quæ non oportet. Ambros. cōmentar. quid est (inquit) ut ea loquātur quæ non oportet?

tet? nuptiarum enim sunt proximæ multorum secretorum participes, adulatrices seruorum querulæ. Arrident ad impudica, & loquuntur ad gratiam, nonnunquam ut & maritos captent.

Volo ergo iuniores nubere. Chrysostomus: Volo igitur, inquit, quia ipsæ volunt. An verò matrimonii præcipit? Absit. Sed ne prohibet quidem: nullam inquit occasionem dantes aduersario maledicti gratia, quædam enim conuersæ sunt retro post Sathanam. Prohibet igitur ab huiusmodi viduas atque deterret. Non quod adolescentulas esse viduas nolit, sed quod adulterias fieri vetet, nolens otiosas esse, loquentes quæ non decet: nolens diabolo occasionem dari. Ea causa sublata non prohibet iuniores viduas esse. Hieronymus ad Gerontiæ: Propter has, ait, quæ fornicatæ sunt in iniuriam viri sui Christi (hoc enim Græcus sermo significat) vult Apostolus alterum matrimonium: præferrens digamiam fornicationi, secundum indulgentiam duntaxat non secundum imperium: Simulque singula testimonij verba tractanda sunt. Volo, inquit, adolescentulas nubere. Cur queso? quia nolo adolescentulas fornicari, procreare filios: quam ob causam? Ne metu partus ex adulterio, filios necare cogātur matres familias esse. quare obsecro? quia multò tolerabilius est digamum esse quam scortum, & secun-

secundum habere virum, quam multos adulteros. Et aliquanto post: Aliud est quod vult Apostolus, aliud quod cogitur velle. Ut concedat secunda matrimonia mēa est incontinentia: non illius voluntatis. Vult omnes esse sicut seipsum, & ea cogitare quae Dei sunt: & solutos nequaquam ultra alligari, sed si labentes per incontinentiam ad barathrum stupri viderit peruenire, digamiae porrigit manum. August. cap. 8. lib. de bono viduitatis, quē Beda hic, & in epistolam ad Philippenses allegat, diligenter interrogata doctrina Christiana & primas nuptias iam isto tempore nisi incontinentia sit impedimento contēnendas esse respondet. Qui enim dixit, si se nō continent, nubāt, potuit dicer: si filios non habent, nubant. Sed post resurrectionem prædicationemq; Christi, quando iam ex omnibus gentibus filiorū spiritualiter gignendorum tanta suppetit cōpia, ut tale officium cesseret ex carne propagare, quale primis temporibus fuisse quod alibi dicit, Volo iuniores nubere, etc. nuptiarum bonū apostolica sobrietate & authoritate commendat, non procreandi officium etiam eis quae continentia bonum capiunt, tanquam ad obsequia legi imponit. Denique cur hoc dixerit, pandit, cum adiungit & dicit nullam occasiōnem dare aduersario maledicti gratia. Iā enim quædam conuersa sunt retro post Sathanam, vt his

1. Cor. 7.

1. Tim. 5.

vt his verbis eius intelligamus eas quas nubere voluit, melius posse continere, quā nubere: sed melius nubere, quam retro post Sathanam ire, id est, ab illo excellēti virginalis vel viduallis castitatis proposito in posteriora respiciendo cadere & interire. Ambrosius in lib. de viuis. Apostolus, inquit, adolescentiores viduas 1. Tim. 5. deuitandas putat, eo quod non valeant tantæ opera implere virtutis: Etenim vicina est lapibus adolescentia. Tamen cum scuerit Apostolus Annā illam ab adolescentia octogenariā viduā dominicorū operū extitisse prænunciam, non puto quod iuniores reuocandas putarit à viduitatis affectu, maximè cū dixerit: Melius est nubere quam vri. Nam vtiq; pro remedio nuptias suasit, vt peritura sanetur, nō pro elecione præscripsit casta & continens quid sequatur. Aliud est enim subuenire labēti, aliud suadere virtutē. Hęc iccirco ex illustribus doctoribus, latius recitauimus, vt ostendemus ecclesiam non peccare (vt ait Caluinus) in hanc Pauli legem, dum ad reformata disciplinæ monasteria, & castitatis votū bene probatas adolescentulas admittit. Lex enim ista Pauli de rei ciēdis iunioribus ex certa lata est causa, qua sublata nullam vim habet, vti supra diximus de lege non constituendorū Neophitorum episcoporū. Tempore Apostoli vt nec simul viuebant, ita nec probationis annū, nec magi-

IN I. AD TIMOTHEVM
magistras perpetuò, vt nunc sit in monasterijs
præsentes habebant.

Hoc quoque aduertendum Deum regere
Ecclesiam etiam humana prudentia atq; con-
filio. Tantis per enim ad continentia vota iu-
niiores viduæ admissæ sunt , dum experientia
magistra cognitum est , id amplius non expe-
dire . Sicut multa alia diu in Ecclesia in rebus
huiusmodi fuere obseruata, quæ post sunt abo-
lita: vt quod viduis ministrabatur, non per ali-
quos certos & depuratos. Item quod presby-
teri vna cum episcopis ecclesiæ regebant.

Iuniores, vtique quæ non voverant: vt suprà ex
concilio Carthaginен. quarto, ex August. &
Epiphanio recitatum est. Absit enim, vt Apo-
stolus votum violare suadeat. Oecumenius in
hunc locum sic dicit : Bonum quidem fuisset,
vt quæ semel inter viduas allectæ essent , nou-
la sciuè agerent aduersus Christum, neque pri-
mam fidem reijcerent: verum quia hoc faciūt,
nubant, seipsas Christo non despōteant & ita
nubant. Hoc enim peccato vacat : illud verò
impium est & scelestum : Sic & Theophil. in-
telligendus est dicens: In primis quidē,inquit,
optarim eas paæta non irrita facere: quia verò
matrimonium & illæ cupiunt , volo & ego vt
nubant , indulgens & acquiescens earum vo-
tis. Satius enim eas matres familias esse, hoc est
propria curare , suæque domus curam gerere
& ope-

& operari , quam alienas ædes curiosè perer-
rantes nugari & otiani. Loquitur hi de viduis
in genere,nō de certa aliqua: quemadmodum
si dicamus , expediret iuniores virgines vota
seruare: sed quia expetimus non seruare , ne
voueant. Supra nihilominus etiam ostensum,
quomodo minus malū sit etiam post votum
nubere,quam in fornicatione permanere,post
votum,inquam,simplex. Quod vero Aposto-
lus non loquatur de ipsis iunioribus quæ vo-
uerunt,pater,quia si eis nuptias suasisset , sua-
sisset etiam aduersario occasionem dare male-
dicti,vt clarius infrà ostendetur. Nubere,nō de-
litijs vacare & otio, sed mariti subesse iugo. Fi-
lios procreare . Hoc quæri debet in nuptijs : Et
sub procreatione intelligitur filiorū recta edu-
catio. August.lib.de bono cōiugali cap. 3. Ha-
bent,inquit,præter prolis propagationē etiam
id bonum coniugia, quod carnalis vel iuueni-
lis incontinentia , etiam si vitiosa est , ad pro-
paganda prolis redigitur honestatē, vt ex ma-
lo libidinis aliquid boni faciat copulatio con-
iugalis. Deinde quia reprimitur quodāmodo
& verecundius astuat concupiscentia carnis,
quam temperat parentalis affectus. Intercedit
enim quædā grauitas feruida voluptatis, cum
in eo quod sibi vir & mulier adhærescunt,pa-
ter & mater esse meditatur,etc. Lib.1.de nup-
tijs & concupiscentia cap. 16. rectè dicit Au-
gustinus

gustinus idem etiā de masculis qui se non continent esse sentiēdum. Vult enim hos Apostolus vxores ducere , filios procreare , patresfamilias esse,etc.

Matresfamilias,obedientes maritis , occupatas in curanda domo ac re familiari. Græcè est vna dictio ὄκοδεσποτῆψ. Venenum est hic in cōmentario Pelagij. *Matresfamilias*,inquit, dici possum etiam quæ duos vel tres seruos habent . Hoc dicit ne ex hoc nomine auaritia defendatur. Volebat Pelagius omnes necessario debere esse pauperes , quasi non placeret Deo si quis Abrahæ similis vel Iob multam familiam & potentem rectè administraret. Tales sunt, qui nimis solicii sunt hortari ad omnia sua diuendenda:quasi nimirū necessarium id foret,cū rectè ea administrare sufficiat. Saudit igitur Apostolus vt nubāt,quò scilicet domesticis negotijs intētæ nihil mali ex otio admittant, sed in Dei timore permaneant.

Nullam occasionē dare aduersatio,diabolo,genitili,Judæo,hæretico: Hi enim omnes sunt aduersarij. *Maledicti gratia*, vt habeat maledicēdi causam. Occasionem istam explicat Hieronymus ad Gerontiam in violatione castitatis. In quo, ait, breui accinctoque præcepto multa simul monita continentur , ne propositum vidux exquisitor cultus infameret : ne oculorum nutibus & hilaritate vultus iuuenum post se

greges

grēges trahat , nec aliud verbo , aliud habitu pollicetur , & cōueniat ei versiculus ille vulgatus: *Risit & arguto quiddam promisit ocello.*

Sic & Theophilactus, *Per spicue*, inquit, hic scopum suum indicat, cur eis acquieuerit, condescenderitque, ne dent, inquit, occasionē Sathanæ illudendi se, vt quæ sponsæ Christi cum essent factæ sint adulteræ , propter iuuentutis & adolescentiæ minimè firmatā constantiam. Eam ob rem sub matrimonij iugum eas duco, vt ne remissæ sibi & laxis habenis viuentes, præmemorata mala adducant attrahantq;. Similiter & Pelagius. *Maledicti*,scilicet aduersus Christianam religionem. Iactabat enim Gentiles simulata esse apud Christianos omnia. Vnde cum viderent eas quæ castitatem Deo vouerant iterum nubere,aiebant reliquas quæ non nubebant cum sacerdotibus Christianis consuetudinem habere . Incontinentes enim omnes ex se æstiment: vnde Nero Imperator, quoniam erat ipse impudicissimus , neminem castè viuere iudicabat . Hæc causa non habet locum in commentario Brentij. Videatur hac de re insignis historia apud Victore lib.2. Vandalicæ persecutio, vbi patet quomodo macculetur Ecclesia per stupra sacrarum virginū. August.epist.137.ad Hippone. Ad quid,inquit, sedent isti, & quid aliud captant , nisi vt quisquis episcopus, vel clericus, vel monachus, vel

S sancti-

sanc*timoni*alis ceciderit, omnes tales esse credant, sed non omnes posse manifestari?

Iam enim quedam cōuersa sunt retro post Sathanam. Rationem dat Apostolus cur velit considerari in iuuenculis an casta sint permansur α , & cur eas regulariter cupiat nubere. Nō sunt nunc Christi negligenda cōsilia, et si pauci quidem ea non seruent, & quantum in se est eccl α siā maculent. At rudi adhuc eccl α siā statu & vita continentium nondum ita, vt iam sit per arctiorem cancellorum custodiam, per annum probationis & gubernatricū præsentiam probè munita, multum incommodi affrebat eccl α siā, si vel vna retrorsum abiret. Et tamē ipsi cum aliqua maritata inuenitur adultera, nec projiciunt vxores suas, nec accusant matres suas, cum autem de aliquibus qui sanctum nomen profitentur aliquid criminis vel falsi sonuerit vel veri patuerit, instant, satagūt, ambiūt, vt de omnibus hoc credatur. Ambrosius libro 3. de virginibus. Aiunt, inquit, pleriq; maturioris ætatis virgines esse velandas: neq; ego abnuo sacerdotalis esse cautionis debere, vt non temerè puella veletur. Spectet planè, spectet ætatem sacerdos, sed fidei vel pudoris: Spectet & maturitatem verecundia: Examinet grauitatis canitatem, morum senectam, pudicitia annos, animos caslitatis. Tum deinde si matris tuta custodia, comitum sobria sedulitas:

Fuisse
Mediola-
ni abba-

litas: Si hæc præsto sunt, non deest virginilontas & gæua canities. Si defunt, differatur puella monastica. Aug. lib. de reijcitur florētior, sed animus examinatur. Et certè Teclam non senectus, sed virtus probauit. Nec mirere in adolescentiis professionem, cum legeris in paruulis passionem. Scriptū est enim: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. An dubitamus, si eum usque ad continentiam sequatur adolescentia, quæ usq; ad mortem cōsideretur infantiæ? Et quasi incredibile putamus, si puellæ nubiles Christum sequantur ad regnum, quem etiam pueri sequebatur in desertum? sicut legimus: quia saturata sunt de quinque panibus quattuor milia hominum, exceptis paruulis & mulieribus. Nolite ergo à Christo arcere infantes, quia & ipsi pro Christi nomine subiere martyrium, talium est enim regnum coelorum. Vocat eos dominus, & tu prohibes? De ipsis enim dominus ait: Sinite eos venire ad me. Nolite adolescentulas arcere, de quibus scriptum est: Propterea adolescentulæ dilexerunt te nimis. Hunc quam te magis Caluine Apostolum intellexisse credimus. Qui dicis, quod si quarundam defectio fatis validum argumentum Paulo fuit, ut medium vniuersale quereret, quam multa hodie Papistis argumenta essent abolēda impuri sui cœlibatus, si quem adificationis haberent

S 2 resp

Matt. 14.
ibid. 12.

Cant. 1.

respectum? Sed crudelibus impij ac diabolici decreti laqueis malunt strangulari animarum miriades, quam nodum vnum relaxare. Nos respondemus te nullum habere respectum illius Apostoli dicti: Melior erit si vidua permaneferit sic, secundum meum consilium. Et illius: Psal. 75. Vouete & reddite. Et hunc locum intelligis, quasi precepit Apostolus iunioribus omnibus nubere, cum id tantum fieri velit, ubi periculum est scandali & stupri. Si propter quorundam virtutia utiles omnes leges essent abolendas, nullam iam posituam haberemus. *Conuersa sunt retro post Sathanam*, deflexerunt scilicet a Christo sequentes sathanam. Quodam, ait Pelagius, promissum propositum non reddentes fuerant fornicate: Ergo dicuntur secutae sathanam, quia votum violarunt. Licit enim qui peccatum facit ex diabolo sit, ut ait Ioannes, praecepit tamen infidelis & impius in Deum, dicuntur ex diabolo esse, qui operatur in filiis dissidentiae. Et: Inuidi atque homicidi, sicut Christus Iudeus dicit: Vos ex patre diabolo estis: Et per iuriatque votorum violatores: ipse enim diabolus pater est mendacij. Unde & Ananias, & Saphira, qui mentiti sunt Spiritui sancto videntes & non redentes, dicuntur tentati a Sathanam, vel Sathanas intrasse eorum cor. Impius enim siue infidelis, inuidus atque homicida, & mendax atque infidus imitatur tria mala, quae diabo-

diabolus in se habet: Impietatem in Deum, inuidiam in proximum & mendacium. Hoc idcirco quae diximus ex scripturis protulimus, ut fruolum esse ostendamus quod ait Caluinus: Has viduas apostatae a fide, quia dicuntur secutae Sathanam.

Si quis fidelis. Gracè est, si quis fidelis, aut si qua fidelis. Et sic legisse videntur & Chrysost. & Theophilact. Sensus idem est: Quia genus masculinum comprehendit femininum. Hieronymus ad Gerontiam intelligit de filiis vel nepotibus, ut alia hic reddatur ratio pracepti suprapositi. *Habet viduas*, hoc est, possidet viduas tanquam famulas & ancillas, ad labores subeundos inutiles (nam antea prescrispsit filiis & nepotibus viduas parentes alendas.) *Subministraret illis*, suppeditet illis necessaria. Ambros: Apparet, inquit, quod dixit, quia fidelium viduæ nunc multum grauant ecclesiam: & eorum qui locupletes videntur mundi: quia per senectutis causam desistentes eas ab opere lanificij, retrahunt eis & vestimentum, & victum: non totum, tamè ex parte, ut illæ ipsæ inopia ad ecclesiam conuertantur ut viuant. Rectè autem addit, *Fidelis*, quia ipse Apostolus infidelibus legem non dabat: Nec decens erat, ut fideles viduæ iam pauperculæ, ab infidelibus alerentur, ne eorum subsidio indigere viderentur. Sic Theophilactus cum Oecumenio. Infidelium,

inquit Chrysost. viduas ab illis minimè nutriri decebat, ne illis indigere viderentur. Idem locum habebat, ubi filii erant infideles. Porro Gentiles senes ab ijcere solent, quos Christiani colligebant, etiam si nondum fideles essent. Consule Eusebium lib. 9. cap. 8. & lib. 7. ca. 20.

Vt non grauetur Ecclesia. Ambros. Oneratur Ecclesia, cum cogitur vestire multos, quæ debet vestire paucos, & plebs quæ libenter & frequenter posset ministrare paucis, cogitur plures dimittere, ut aut murmuraret, aut tardius occurrat.

Vt eis que vere viduae sunt, id est, omnino defolatae. Sufficiat Ecclesia. Qui igitur suos pauperes nutrit, etiam pauperibus Ecclesiæ prodest, cum eis non admittit quæ isti erant habituri. Si peccant qui suos, quos alioqui sustentare possent, ecclesiasticis eleemosynis ali patiuntur, quid de ijs æstimandum qui easdem, spoliata Ecclesia & sibi vendicant, & luxu perdunt? Vtinā istud sedulò pensitarent venatores beneficiorū ecclesiasticorū, qui cum verè ministerium non præstent, ita tamen undeque ea accumulant, ut veris ministris nihil supersit, quo sit ut & grauetur populus, & in multa scandala incidat. Habebat autem Ecclesia diaconos, qui asserabant oblationes pauperibus distribuendas, ut suprà dictum est. Videtur autem mos iste viduas nutriendi etiā in veteri suis testamento,

mento, sicut 2. lib. Macha. cap. 3. legitur in æratio Hierosolymitano depositam fuisse pecuniam ad virtualia viduarum & pupillorum.

Qui bene præsunt presbyteri, &c. Quia de viduis ab ecclesia alienis tractauerat, etiam de pastribus sustentandis agit. *Presbyteri*, nomen ordinis non ætatis: Et refert Chrysostomus ad Ecclesiæ præsules sive episcopos, cui fauet quod sequitur, *qui bene præsunt*. Interim in cæteris quoque sacerdotibus locum id habet. Ambrosius in illud, Seniorem ne increpaueris. Apud omnes, inquit, utique gentes honorabilis est senectus: vnde & synagoga & postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia: quod qua negligentia obsoleuerit nescio, nisi forte doctorum desidia, aut magis superbia, dum soli volūt videri aliquid. Hic Ambrosius de pastribus loquitur qui pastores non erant, nō autem de plebeis & laicis, ut vult Caluinus. Vide suprà Hieronymū, ubi tractauimus vocem, Episcopi. *Qui bene præsunt*. De qualibus Christus ait: Bonus pastor animā Ioan. x. suam dat pro ouibus suis: Qui sibi nusquam parcit, ut oues feruet.

Maximè qui laborant in verbo & doctrina. Non omnes boni episcopi tunc eximiè poterant laborare in verbo, exemplum est in Alipio & August. Augustinus laborabat in verbo, Alipius aliter. Sicut & Valerius gratiā verbi non

S 4 ita ha-

ita habebat . Poterant quidem veritatem simpliciter proponere, sed eximiam gratiā & proponendi & defendendi omnes non habebant. Requiritur in Episcopo , vt potens sit exhortari,etc. sed omnes virtutes raro inueniuntur eminenter in vno. Ne theoreticū qui verba Dei nouit tantum, laudari à Paulo hoc loco putas, adiecit: *Et doctrina.* Est verò (ait Chrysostomus) necessarium verborum ministerium. Cum enim de dogmatibus differitur, quem hic locum virtutē sanctitas habebit? Quid habet virium? Neq; verò eum sermonem laudauerim qui fastu tumidus externa peritiae iactatiā sequitur: sed qui virtutis ac succi habeat plurimū : qui sensibus grauis sit & sapientia plenus . Non ergo apparatu illi opus est ac pompa dicendi, sed intelligētia ac viribus ad id quod sentit eloquendum idoneis. Ideo dicit, in verbo & doctrina, ne clamosum hic laudari putas. Notāter adit, *Labor.* ut enim Chrysostomus ait, doctor magnum sustinet labore. Cum enim alias (qui scilicet non bene p̄f̄est) non vigilet neq; curris maceretur, sed passim secūrus in quotidianis fabulis & confessibus sit, hic conciditur sollicitudine & meditationi perpetuō insistit. Hoc nemo nouit nisi qui experitur : vnde Apostolus cōparat bonum prælatum præcipue docentem boui trituranti fruges & operatio. Necesse est vt omnes sacrarū literarū studiosi ita se

ita se studiaque sua componant , vt Ecclesiam decet vitæ exemplo & verbo ædificant.

Duplici honore digni habeantur. Chrysostomus, id est, multo honore, etc. Sicut dicitur in Heliogō requieuisse duplex spiritus, id est, vehementer zelosus, magnorum operum patrator . Et Hiere. cap. 17. duplice contritione contrere eos. Et 16. cap. Reddā duplices iniquitates. Et omnes domestici eius vestiti sunt duplicitibus. Suscepit de manu domini duplia pro omnibus peccatis suis . Exponit & aliter, duplice subsidio, respectu viduarum & ministrorum. Ambrosij commentarius accipit & honorem , reuerentia & subsidij. Chrysostomi prior expeditio magis placet qui honorem recte exponit pro subsidio sustentationis & victus, licet etiam reuerentiam & obsequium per honorem intelligat. Oportet, inquit Chrysost. doctoribus necessarium viatum affatim ministrari, ne deficit neque soluantur, neque minimis occupati magnis seipso atque alios priuent, vt spiritualia operentur, nullam secularium habentes rationem.

Dicit enim scriptura, vtriusque testamēti. Putant Græci Apostolum allegare Christi verbum: videri magis possit veterem intelligere scripturam, quandoquidē noua tunc nondum erat. Ut illud: *Dignus est operarius mercede sua, adducat ex communi hominū sententia.*

Non al-

Non alligabis os boui trituranti, Deutero. 25. In his regionibus flagellis excutitur triticum: In Palestina, vt & in Provincia Galliae boues circumacti calcibus triturant. Auari agricole bouis triturantibus ora infrenabant ne quid tritici inter laborandum absumerent. Id prohibet dominus Iudeis, mysticè significans prædicatoribus præparentibus magno labore nobis panem spiritalis doctrinæ, non modo non esse subducenda, sed largiter etiam præbenda vita subsidia. Sicut enim lex per pecora munda & immunda mysticè homines significat, ut patet Act. 10. Ita & per boué triturantem prædicatores. Sic Chrysost. in ca. 9. prioris ad Co-

In Psal. 145. & alijs locis. trinth. At August. putat ad literam in Deuter. de prædicatore, non de bruto pecude sermone fieri, quia Deus indiderit hominibus scientiam, qua vrliter sua pecora regant, nec ad id opus esse præcepto. Sed absurdum non est ex impiorum mentibus hanc scientiam deleri. Vnde dicit Salomon Proverb. 12. Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera impiorum crudelia. Res eodem recidit. Hoc notandum non primum Apostolum bouis nomine interpretatum esse prædicatorem atq; doctorem, sed & Esaiam cap. 32. Beati qui seminatis super omnes aquas: immitentes pedem bouis & asini. Et Proverb. 14. Vbi non sunt boues, præsepe vacuum est. Vbi autem plurimæ se-

getes,

getes, manifesta est fortitudo bouis.

Dignus, &c. Hoc videtur, yti monuimus, ex communi hominum sensu dictum, sicut i. ad Corint. 9. multa huiusmodi cōglomerat Apostolus. Thomas putat secundum rem desumptum ex Leuitici cap. 19. non morabitur merces mercenarij tul apud te vsque mane.

Merede. Non significat Apostolus prædicatorem laborem suum temporalibus tanquam mercede commutare. Gratis enim annunciat euangelium, & mercedem éternam à Deo expectat. Sed sensus est: Quod sicut operarius vivit ex mercede sibi debita, ita prædicator dignus est, ut sustentetur. Vnde Lucas cap. 10. dicit: Sic dignus est operarius cibo suo. Augustinus auroeo illo libello, vel sermone de pastoribus cap. 2. Accipiant, inquit, pastores sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à domino. Non enim idoneus est populus reddere mercedē illis, qui sibi in charitate euangeli seruiunt. Non expectent illi mercedem, nisi vnde & isti salutē. Porro Apostolus hic solum naturale ius non aliquod posituum proponit, nec ex hoc Apostoli dicto aut naturali iure mutis pastoribus, & officium suum non præstantibus quicquam suppeditare tenemur. Nihilominus quicquid datum est vel legatum pauperibus, vel religiosis, ac sacerdotibus, spe quidem orationis, non autem obli-

obligado eos ad oradum, hoc eorum est etiam si non orent, nec de huiusmodi hic agit Apostolus. Nec possunt laici ad libitum suum etiam indignis decimas ecclesiasticas subtrahere, quia ipsi iudices eorum non sunt: Sed ubi hoc legitimo iure constituerit, non exoluunt. Iuxta 18. artic. Ioannis VVicleff Constantie à Concilio, & à Martino 5. damnatum, qui sic habet: Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt parochiani propter peccata suorum prelatorum ad libitum suum eas auferre. Nihilominus qui beneficia indignis conferunt, & ipsi beneficiati non facientes officium tenetur restituere perceptos fructus, iuxta cap. commissa lib. 6. de electione & electi potestate. cap. Tua nobis de decimis lib. 3. Decretalium dicitur Deo decimæ deberi in signum vniuersalis dominij. Nec posse prætextu nequitie clericorum alteri quam clericis, quibus dominus eas dedit concedi. Sicut igitur in veteri lege omnes decimæ iubentur exhiberi sacerdotibus, tametsi improbis, ut patet Malac. 2. & 3. Ita & nunc laici iure ecclesiæ positio obligantur.

Aduersus, nunc de his quæ iniquè inferuntur presbyteris, & calunijs ac defensione eorum agit. *Presbyterum*. Tres Græci & Cyprianus li. 3. ad Quirinum cap. 76. intelligunt astate senem, sive maiorem natu. Sed textus ipsius consequentia, præcipue quæ precedunt magis significant

ficant eum de episcopo loqui. Et sic intelligit commentarius Ambrosij. Epiphanius in hæresi Aërij de simplici presbytero accipit: similiter & Sixtus Papa 2. in epist. 2. sic dices: Accusatio episcoporum non est facile suscipienda, dicente domino: Non suscipes vocem mendacij. Et Apostolus inquit, aduersus presbyterum inscriptionem non recipiendam absque duobus vel tribus idoneis testimonij. Si haec de presbyteris vel ceteris fidelibus sunt praecaudenda, quanto magis de episcopis? In tota Asia multi erant senes astate etiam Christiani, qui erant nequam.

Accusationem ne receperis. Chrysost. Non ait, noli condemnare, sed ne accusationem, inquit, recipias, neque ad iudicium sedeas. Secundum Chrysostomum igitur episcopus habebat aliquam cognitionem causarum forenum. Quia de re & August. cōqueritur in libello de opere monachorum ca. 29. & Chrysost. Cyprianus, commentarius Ambrosio inscriptus, Pelagius atq; Oecumenius finiunt hic Apostoli sententiam, nec adiiciunt illud, Nisi sub duobus aut tribus testibus. Putantque esse sensum non esse facile admittendam accusationem, contra aliquem, multominus contra presbyterum. Quoniam (ait Ambros.) huius ordinis sublimis est honor. Huiusmodi enim vicarij Christi sunt, ideo non facile de hac persona accusatio debet admitti.

cum ait: Quid ergo inquieris si duo mentiantur: Istud quidem raro contingit: Liquebit autem si iudiciorum inspiciatur forma. Putat vero Chrysostomus istud in omnibus etiam iuuenibus accusatis obseruandū dicens, Num contra iuniorem aut quemlibet accusatio est sine testibus admittenda? Nonne cum summa diligentia semper sunt exercenda iudicia? quid ergo quod dicit? Ne cōtra alios quidem, inquit, minimē vero aduersus presbyterū. Hic Chrysostomus nō distinguit inter accusationem recipere, & condemnare. Thomas & Caietanus putat presbytero hic aliquid peculiare tribui, quod videlicet non debet accusari antequam constet de testibus sufficiētibus. Laicus autem qui non pr̄sumitur tantæ integritatis accusari potest: & expectare debet an testes deficient an non. Intelligunt igitur hi, sine testibus duobus vel tribus legitimis, hoc est, fidelibus, ac honeste conuerterationis. Et hoc magis est conforme legi & verbo Christi: In ore duorū vel trium testium stabit omne verbum. Ratio vero cur Apostolus istud peculiariter pr̄scribat

Deut. 17.
Ioan. 8.
1. Cor. 18.
Hebr. 10.

de episcopo, vel nominatim de eis hoc exigit, hæc est: quia semper subditi iniqui sunt, & ingrati suis pastoribus, tum quia tanquam maioribus & sibi pr̄positis inuidere solent, & si quid humani (quod tam arduo officio facile contingit) pr̄positis obrepant, mox illi vehementer

IN I. AD TIMOTHEVM

admitti. Incredibile enim debet videri, illum qui Dei antistes est criminose versatum, sicut credibile est sc̄enicum esse turpisimum. Ambrosius Catharius dicit Pauli Apostolum resuasse sibi correctionē presbyterorum siue episcoporum: sed id non satis cōsonat cum eo, quod sequitur, *Peccantes, &c.* Chrysostomus, & Theophilactus, & Sixtus Papa secundus, legunt ut noster interpres. Et hāc lectionē Hieron. approbat, simul alterius cuiusdam ineptæ lectionis mentionem faciens, epist. ad Marcellam, que est ultima in 2. Tom. ubi sic habet: Illi (sciolī scilicet) aduersus presbyterum accusationem omnino putent recipiendam. Nos legamus aduersum presbyterum accusationem ne receperis, nisi sub duobus aut tribus testibus. Videretur hic in Hieron. deesse, non. Et sic citat Erasmus in postrema editione annotationum in nouum Testamentum.

Nisi sub duobus aut tribus testibus, hoc est, nisi pr̄sentibus duobus vel tribus testibus, testibus scilicet de crimine delato. Sic Chrysostomus. Quia, inquit, multa sapè ex suspicione sunt, oportet adesse testes, qui iuxta veterem legem ipsum arguāt. Porro ut prius ex Chrysost. diximus, aliud est recipere accusationem, aliud cōdemnare. Recepta enim accusatione, adhuc habet accusatis locum defendendi, & reiiciendi testes, quemadmodum idem adjicit,

cum

menter exaggerant: tum quia eorum admonitiones & correptiones suas putant esse iniurias. Porrò numerus testium et si lege diuina positiva in veteri testamento, & lege positiva Ecclesiæ sit determinatus ad binarium, vel ternarium, is tamen non nisi regulariter argumentum est veritatis. Vnde ius civile in aliquibus casibus, plures tribus testibus requirit: Et in purgatione quandoque septem testes requiruntur, ut ca. Tam literis. De testib. Contingit enim plenum esse numerū, testium, accusati tamen viram tam probatam esse iudici, ut in veritate & estimatione bonorum viorum, adhuc superior sit, ut habet cap. In nostra præsentia, de testibus. Vincunt autē interdum pauciores testes aduersos etiam numerosiores, vbi inter se cōtrariātur. Certè Moses 250. testibus, qui erant proceres Synagogæ & consiliarij fuisse conuictus falsitatis, si eorum sententia fuisset auditæ. Notum quoque est quomodo Damasus Papa per duos diaconos, adulterij sit accusatus, & tamen à 44. episcopis sit purgatus. Similiter & Sixtus tertius à 56. episcopis est purgatus. Simmachus quoque Papa eiusdem criminis accusatus est tam indignè, ut cum accusatores probare non possent duobus testibus vellent per mancipiorum quæstiones atque torturas probare. Qua de re extat 4. Syndodus Romana sub Simmacho & liber Euodij dia-

dij diaconi. Ob causas memoratas, valde vigilantes voluerunt esse iudices, ne facilè admittantur subditi contra superiores, & laici contra clerum testari. sine exacta testimonij discussione: quia regulariter ex affectu potius, quam recto iudicio accusant, & testantur: sicut & lex diuina dicit, dijs nō detrahes. Nec quicquam aliud habent decreta patrum, quæ recitat Gratianus causa 2. quæst. 4. & 7. vt recte dicit Thomas in 2.2. quæstione 68. artic. 1. ad 2. Quod autem ibi dicitur ex Siluestro 72. requiri testes, antequam damnetur episcopus, & ita consequenter in alijs, Gratianus dupliciter soluit, primò esse hoc priuilegiū Romanæ ecclesiæ. Quam solutionem sequitur Thomas 2. 2: quæst. 70. artic. 2. ad 3. vbi huius priuilegij tres idoneas reddit rationes. Secundò soluit eam legem intelligendā, cum testes nō sunt idonei, dum videlicet in aliquibus requisitis deficiunt. Et hanc solutionem Panormitanus amplectitur in cap. Licet vniuerfis, De testib. & atresta. lib. 2. decretal. Videtur & alias posse dari sensus, nequaquā rei ciendus, quod videlicet præsumatur esse integratissimis ut 72. testes quæri debeant, qui dicta duorum, vel trium testium hactenus firment, ut prohibeant testimonij se credere, eos esse fide dignos, quemadmodum cum quis septem vel tribus testibus, canonice purgare se debet: qui scilicet testen-

Tur, se

tur, se habere eum fide dignum. Magis arridebit hæc interpretatio, si ad Marcellini Pontificis & Actorum eius historiâ respiciamus, vbi dicitur quod sicut 12. vncijs in libra cesus probatur, ita & in 72. testimonij cōparatus damnabitur p̄f̄sul: hoc est, authoritas eius comparabitur 72. testibus, testantibus fide dignos esse qui contra eum dicunt testimoniu. Et hic videtur olim fuisse modus approbandi testes, quando nullum adhuc ab eis iusurádum exi-

^{4. Reg. 11.} gebatur, vt patet ex iudicio Naboth, Susannæ,
^{Dan. 11.} Christi, Stephani. Sic contra in causa Susannæ
^{Matt. 16.} adfuere omnes parētes, filij, cognati, ad ostendendum quodammodo eius innocentiam.
^{A&t. 6.}

Nunc alia sunt rationes, quibus testes probentur, vnde sunt in supradictis Marcellini gestis 85. testes, sed primi tredecim restatūr se vidisse Marcellinum thurificasse (decimus quartus enim vt adulter rejecit) deinde veniunt alij 14. & confirmant priorum testimonia, & si videantur dicere se etiam vidisse, nihil velimus potius dictos priores 14. ab alteris 14. fide dignos iudicatos. Deinde ingrediuntur 44. testes non tamen dicentes se quicquā vidisse, & cum sint 85. testes, tamen dicunt patres in 72. testibus p̄f̄sulern dānari, quia videlicet tredecim se vidisse, & alij eos fide dignos esse testabantur. Placuit autem numerus 72. testimoniū, quoniam (vt habet eadem gesta) annus resurgit &

repa-

reparatur in 72. Quod enim interest temporis inter sabbatum Septuagesimæ, & Dominicam in albis tempus est in ecclesia reparatiōnis lapsus: atque ita meritò numerus ille in lapsu p̄f̄sulis Ecclesiae eligitur. Sic in gestis vbi Sixtus absolvitur, narratur etiam quomodo quædam crimina de Policronio episcopo Hierusalem docuerit Euphemius, & postea 40. testes introduxerit, scilicet qui confirmarēt testes alios esse fide dignos. Et quia nō omnia docuit Euphemius quæ accusauerat, etiam ipse damnatus est. Ex his facilè intelligitur Caluinum nihil hic aliud quam calumniari, dum ait: Videamus quātis & quam multiplicibus privilegijs suum clerū munierit papatus, vt cum nequisissimè viuant, sint tamen ab omni reprahēsione immunes. Certè si cautiones obseruētur, quas colligit Gratianus causa 2. quæstione 4. item quæstione 7. non erit periculum ne vñquam ad rationem vitę reddēdam cogātur, vbi enim 72. testes reperiantur, quos in episcopo damnando requirit putidum edictum sub nomine Siluestri? Deinde cum totus laicorum ordo ab accusatione arceatur, in clero etiam minores maioribus prohibeantur, molestiam facessere, quid impedit quo minus securi iudicia omnia rideant? Mendax est Caluinus, & decreta citat vel non authentica, vel male intellecta. Nam in primis decretum illud videri queat non esse

T 2 Sylue-

Sylvestri, præsertim cum eius non meminerit Damasus recéfens diligēter eius decreta. Nec sub Sixto 3. vel Symmacho, cum hi accusarentur, nec in alijs decretis vlla est huius edicti memoria. Deinde nō ignorat fœminam quan-dóque in crímine aduersus clericum testari, vt dicit Gregor. 9. cap. Quoniam de testibus. Item cap. Tam literis, & ca. Si dominus, & ca. Tanta est labes de simonia, quæ sunt Adeodati Pontificis. Postremò episcopū duobus aut tribus testibus posse etiam damnari, liquet titulo de accusa. ca. Qualiter & quando.

Peccantes coram omnibus argue. Sicut Apostolus prouidit honori ordinis episcoporum, ita non vult hoc priuilegium incétiuum esse peccandi. Solent enim alioqui impij facile rapere omnia ad suam libidinem. *Peccantes*, scilicet episcopos vel quoscunque, qui manifestè de-præhenſi sunt peccasse, siue duorum vel trium testimonio, siue alias per euidentiam facti. *Argue*, seuerè obiurga coram omnibus, vt & cæteri episcopi, vel etiam laici videntes nec episcopis parcí, timorem habeant, & metu punitio-nis in officio contineantur. Observandum in primitiuā quoque Ecclesia à primo pietatis seruore inclinationem factam fuisse, vt timore etiam deberent in officio contineri. Quanto magis nunc legum timore est opus, quando seuerę episcopi obiurgationes paruipendūtur.

Noran-

Notandumque est multò melius esse timore episcopi facere suum officiū quam negligere. Sicut sacerdotes alios exemplo præire debent, ita & scandalosè viuentes, grauius peccant, & publicè sunt arguendi, occultè peccantes, & occultè sunt admonendi. Si autem episcopum non audiant, habendi sunt vt Ethnici & Publicani.

Testor coram Deo & Christo Iesu, & electis ange-lis. Terribilis est adiuratio, qua præcipit Timo-theo Deo in testem vocato. Et Chrysostomus videtur interpretari tanquam Apostolus di-ceret: Testis est mihi Deus, quod ista tibi præ-cipiam. Vocat, ait, eorū quæ dicta sunt testem patrem & filium, in extremo examine ratio-nem illis redditurus, si quid præter debitū fieret, quod omnia dixerit. Et infrā: Jacob Deum assumit testem & collem, ita & nos interduim magnas minimásq; personas in testimonium sumimus, adeò magna res testimonium est. Ac si diceret, Testem voco Deum eiisque filium, ac seruos eius quod ista perceperim tibi: Coram ipsis præcipio tibi. Hinc patet Chrysostomum non omnino cōdemnasse iuramentum. Est igitur secundum eum hæc sententia. Deus est mihi testis, quod fecerim quod meum est: Coram ipso præcipio tibi agenda, sicut & alibi dicit: Contestor vos hodierna die, quod mun-dus sum à sanguine omnium, etc. Ego me ex-
Act 20.

T 3 cusabo

cusabo in die iudicij, si tu non feceris officium tuum. Adhibet autem Apostolus hos testes, sicut dominus Matth. 18. adhiberi iubet, qui si ne dubio contemnuntur ab eo qui negligit ea praestare, de quibus coram testibus admonitus est: Ita & Timotheus reus erit non solum Pauli neglecti, sed & Dei, si ista non custodiat. Cur Apostolus hic interponit obtestationem per Deum, dat Chrysostomus causam: Quia, inquit, qui de seipso dicere non erubuit; timeo ne alijs predicans ipse reprobus efficiar: multo magis de Timotheo veritus non est, neq; erubuit dicere. Deinde est & hæc ratio, quia hæc res iudiciorum, est valde ardua & seria. Tertiò vices gerunt Dei iudices. Iustum est ergo, vt eius conspectum, cuius vicarij sunt vereantur. Denique & ideo hoc videtur Paulus adieciisse, vt importunis solicitatoribus satisfaceret Timotheus. Plurimis enim modis iudices adceptionem personarū solicitantur, vbi nisi opponat hominibus timorem divini iudicij: non habent quod respōdeant. Postremò alios episcopos Apostolus in Timotheo instruit, vt annotat Ambrosius in illud quod infrā ponitur, Præcipio tibi coram Deo, etc. & Christo Iesu. Hunc adiungit, naturam in eo humanam considerans, & electus angelis: Et hos tāquam testes adducit, quia actus nostros contemplantur, & ad futurum iudicium cū Christo veniēt. Sic

& alias

& alias vult mulieres esse velatas ob angelorum conspectum, quibus pudor placet, & displicet impudentia: & Christus pusillos contemptos minimè esse docet ob augelorum conspectum. Vocat autem sanctos angelos, quia sunt etiam angeli electi, sic recte intelligunt tres Græci & Commentarius Ambros. Posset etiam hoc videri additum causa non tantum discretionis, sed & excellentiæ. Omnes enim angeli sunt excellentes præ reliquis creaturis rationalibus, vt in Psal. Non communicabo Psal 140. cum electis eorum. Catarinus intelligit angelos, quos præ cæteris sanctis angelis dicit esse electos, quos dicit septem esse, & tres ex illis Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem: ac de his mentionem fieri Apocal.. Sed cap. 5. Apocal. intelliguntur per septem cornua & 7. oculos agni septem spiritus Dei missi in omnem terram. Idem intelligitur Apocal. 1. & 4. hoc est, ipse Spiritus sanctus septiformis in donis, quo Christus secundum humanam naturam plenus est. Vnde Apocal. 1. præponuntur septem spiritus Christo Iesu. Et sumpit Ioannes hoc ex cap. 3. & 4. Zacharię, vbi fit mentio septem oculorum & septem lucernarū: ac septem oculi dicuntur esse in uno lapide. Fabula est ergo & incerta expositio Catarini. Assistunt domino innumeræ angelorum myriades, nec eorum temimus numerum qui reliquis præponuntur.

T 4 & si

& si Michaël ex Daniele & Apocalyp. primius omnium videatur. Illud autem 12. cap. Tobiae, Ego sum Raphaël unus ex septē, etc. non male intelligitur, ut numerus septenarius pro tota multitudine ponatur, sicuti & vniuersa dona sancti Spiritus per septem significantur.

Porrò electio haec angelorum non vocatur ab Apostolo electio gratiæ, sicuti hominum, ad Rom. 11. nec est electio, vt sint sancti & immaculati, sed est electio ad vitam quia sancti & immaculati perfliterunt, unde est electio propter meritum liberi arbitrij eorum, non prædestinationis secundum propositum gratiæ Dei ex massa & vasibus iræ. Hinc August. beatitudinem eorum & hominis si perficisset in primo honore ad liberum arbitrium & eius meritum, non autem ad gratiam, ad præscientiam, nō ad prædestinationem refert. Vide cap. 10. & 11. lib. de corrept. & grat. cap. 7. lib. 1. de bono perseuerantia, & Enchirid. cap. 104.

Vt haec custodias. Ambrosius refert ad omnia, quæ dicta sunt de ordinatione ecclesiæ, episcoporum, diaconorum, viduarum, de admonitione fratrum, etc. Chrysost. & Theophilactus ad ea quæ proximè antecedunt de iudicio: Id quod magis placet.

Absque præiudicio, Id cum illo, *custodias*, iungi potest, vt sensus sit: In tribunali tuo caue alicui præiudices, nimio scilicet fauore istam alicu-

alicui causam deferens, re nondum bene examinata. Pro quo facit illud, *In alteram partem declinando:* In quo videtur alludere ad bilancem, quæ dum nō est equalitas inter pondus & rem pôderatam, declinat in altera partem. Sic dum iudex odio vel fauore alterius partis mouetur, fit iniquus. Sensus igitur est, vt ait Chrysost: Communem & æquum te his qui iudicandi sunt præbeas, vt te nullus anticipet, nemo conciliet. Sic & Theophilact: Ut nemo te anticipando circumueniat, ac familiarem & propitium sibi reddat, vt secundum se vel ante iudicium sententiam feras. Consentient Grecania scholia: & intelligunt sine præcipitatione iudicij, id est, vt nihil eorum quæ dicta sunt temere & imprudenter ac non præeunte iudicio aut consilio facias. Eadem scholia admonent Clemétem in septimo informationum sic intelligere: Custodi hoc absque præiudicio, hoc est, caue ne ad aliquid impingendo subijciaris iudicio & vltioni inobedientia. Custodi ita haec vt non habeas aliquod peccatum præcedens ad tui condemnationem. Ambros. comment. iungit hoc, Sine præiudicio, cum sequentibus. Præcipit (inquit) nihil fieri sine præiudicio, ne facile aliquis accipiat ecclesiasticā dignitatem, nisi prius de vita & moribus fuerit disputatus.

Nihil faciens in alteram partem declinando. Oecumenius legit, nihil faciens iuxta præsumptionem:

nem: Siquidē pr̄sumptiones sāpē destituuntur veritate. Est enim πρέσκλισις affectio, que aliquē prouocat ad quipiam sine iudicio faciendum . Basilius, homelia 12. in principium Prouerbiorum scribens, sic dicit: Nihil faciens secundum acclinationem, sed recta & nō peruersa ferens iudicia : (Sic vertit Tilmannus) Quemadmodum is qui sagittam tendens ad metā dirigit, nec vltra, nec circa, nec vtrobiq; errando à via proposita excidet, ita rectus iudex factitabit, nec in iudicando personam accipiet : Nosceret enim quod minimē ad rem faciet, neque item prouocatione aut cōtentione ager, sed rectū ac minimē obliquum proferet iudicium. Annotat Oecumēnius Basiliūm hic legisse πρέσκλισιψ per ἰωτα . Theophilactus legit, nihil faciens per aduocationem, seu inuitationem . Nec quippiā (inquit) velim per aduocationem feceris, hoc est, ad gratiā, vel quod ad alteram partem sis voluntate propensiōr. Omnino videtur pertinere ad iudicium, & interpres noster videtur secutus Basiliūm , sed aliorum interpretatio coincidit. Prohibet ergo hic personarum acceptiōnem, vultq; cum nec odio aut fauore alicui parti peculiariter affici: hæc enim iniquum faciunt iudicium.

Manus cito nemini imposueris : De ordinatione agit, vt recte tres Graci, & Ambrosius interpretantur. Quid (inquit Chrysost.) sibi vult,

Cito?

Cito? non ex prima statim probatione nec se- cunda nec tertia. Sed vbi consideratio diuturna pr̄cessit, exactissimaq; discussio, tūc im- ponito manus . Hoc pr̄cepto poterat statim Timotheus abijcere importunos solicitatores qui statim quosdam vbi vnum atque alterum pietatis specimen ediderint, volunt ad ordines promoueri. B. Hieronymus in 58. cap. Esaiæ: Plerique(ait) nostrorum χειροτονία, id est, or- dinationem clericorum, quæ nō solum ad im- precationem vocis, sed ad impositionem im- pletur manus: ne scilicet, vt in quibusdam risi- mus, vocis imprecatio clandestina, clericos or- dinet nescientes : sic intelligunt, vt assumant testimonium Pauli scribentis ad Timotheum: Manus cito nemini imposueris, neq; commu- nicaueris peccatis alienis . Non estenim pec- catum leue mittere margaritas ante porcos, Matth.7 & dare sanctum canibus : Et ordinationē cle- ricatus; nequaquam sanctis & in lege Dei do- cētissimis, sed aſſeclis suis tribuere, & viliū offi- ciorum ministris: quódque his dedecorosius, muliercularum precibus . In quo consideráda loquentis in se Christi Apostoli sapientia ; qui vt ordinationis periculū demonstraret: iunxit tormenta peccantium, neque communicaue- ris peccatis alienis . Sicut ergo in ordinationi- bus malorum particeps est peccatorum , qui tales constituit : Sic in ordinatione sanctorum parti-

temerariam manus impositionem episcopum
communicare peccatis alienis , videndum est
quomodo consentiat alienis peccatis temera-
ria ordinatione . Nam quod Catarinus istud
auellit , neque communicaueris peccatis alie-
nis, à præcedentibus: omnino est improbabile,
nec consentit cum veterum committarijs, nec
cum manuum impositione : si dicat episcopo,
ne laudes vituperada, ne vituperes laudanda,
nec faueas hæreticis, etc. August.lib.2. cap.21.
contra epistolam Partheniani docuit , inquit,
Apostolus ex sequenti, quemadmodum quod
prius dixit, intelligendum sit . Qui enim seip-
sum castum custodit, non communicat pecca-
tis alienis . Si enim communicat , consentit, si
consentit, corruptitur: si corruptitur, castum
se non seruat . Ita planè si sociatur quis malis,
corruptitur , id est, siue mali aliiquid cum eis
committit, aut committéribus fauet. Si autem
neutrūm facit, nullo modo sociatur . Porro si
addat tertium, vt non sit in vindicando piger,
sed vel corripiat iustus in misericordia , & ar-
guat, vel etiam si eam personam gerit, & ratio
conseruandæ pacis admittit, coram omnibus
peccantes arguat, vt cæteri timeant: remoueat
etiam vel ab aliquo gradu honoris, vel à com-
munione sacramentorum. Et hec omnia cum
dilectione corrigendi, non cū odio persequen-
di plenissimum officium, nō solum castissimæ
inno-

IN I. AD TIMOTHEVM

particeps est eorum iustitiaꝝ qui bonos elegit.
Hic Hieronymus similiter intelligit & ostendit, etiam in manus impositione intelligi vo-
ces precatorias, vt suprā diximus. Interpretatur
quidam ne cito imponas manum , ad ab-
soluendum à peccatis. Lyranus , ne imponas
manum ad puniendum. Titelmannus, ad om-
nia tria. Sed veterum retinenda est interpreta-
tio, quæ de ordinatione locum accipit.

Neque communicaueris peccatis alienis. August.
lib.7.contra Donat.cap.5. inductis verbis cu-
jusdam episcopi Aurelij Vricensis, ex concilio
erroneo Cypriani: Cum, inquit, dicat Aposto-
lus. non cōmunicandum peccatis alienis, quid
aliud quam peccatis alienis cōmunicat , qui
sine baptrismo ecclesiꝝ hæreticis cōmunicat?
& ideo censeo baptizandos esse hæreticos , vt
acciipiāt remissionē peccatorū , & sic illis cō-
municerur. Respōdetur. Communicauit ergo
Cyprian. & omnes isti peccatis alienis, quia cū
talibus in cōmunione manserunt, quando ne-
minē qui diuersum sensit à cōmunione amo-
uerunt? Vbi est ergo Ecclesia , quæ secundum
hæc verba iam tunc existimatur perijſe con-
tagione peccatorum ? Si autem sicut se habet,
firmissima veritas Ecclesia permanit & per-
manet, non nisi in cōsensione intelligenda est
cōmunionio peccatorum, quam vetat Aposto-
lus. Cum igitur Apostolus dicat per citam &
teme-

innocentia, sed etiam diligentissimæ seueritatis impleuit. Vbi autem cætera impediuntur, illa duo retenta semper incorruptu castumq; custodiunt, vt nec faciat malum, nec approbet factum. Et lib. 2. ca. 106. cōtra literas Petilia-ni. Quod ait, inquit, Apostolus, Ne cōmunices peccatis alienis, cōsensu & placito intelligi voluit. Vnde statim subijtiens quomodo id agat, te ipsum, inquit, castum custodi. Neque enim ipse Paulus cōmunicabat peccatis alienis, quia falsos fratres, de quibus gemit, in vnitate corporali tolerabat: aut communicauerunt furto & sceleri Iudæ prædecessores eius Apostoli, quia cum eo iam domini vēditore & à domino demonstrato sacrosanctam cēnam communicauerunt? In temeraria autem ordinatione vario modo præbetur peccatis alienis consensus: Primò vt nō male Caluinus interpretatur, cum quis alioqui rectè sentiens, succumbit aliorum importunæ solicitationi & assentitur ordinare, quos alioqui rejiceret. Hic consentit peccatis promouētum inidonæum, & se alienæ stultitiae socium addit. Verum quia Apostolus solicitantiū expresse non meminit, sed tantum ordinantis & ordinati, potius ad ordinati peccata refertur. Secundo præbetur cōsensus alienis peccatis, & in primis quidem ijs quæ ab ordinandis aliquādo commissa sunt, dum fuerint ab his neglecta, quorū erat

ea cor-

ea corrigerē, dūmque qui deberet redigi iam ad poenitentiam, promouetur ad honorem, ijs deinde quæ iā ordinati probabiliter metuuntur perpetraturi, quorum impedimentum præstare debebat episcopus à sacris eos ordinibus reiçiendo. Postremò & ipsius plebis peccatis quæ vitio huiusmodi pastorum contingent. Quibus vniuersis cum episcopus idoneis ordinādis occurtere debuisset, peccatis illis omnibus causam dedisse censeretur, quo sit vt eorum particeps fiat. Sic Chrysost. Ne, inquit, ci-to manum imponito: neque enim ea res periculo caret. Eorum enim quæ ille peccauerit, tu quoque pœnam dabis, qui initium dedisti etiam præcedētum delictorum. Qui enim improbè prima remisisti, etiam futuris eris obnoxius, quod ipse quasi author extiteris præteritorum, quia ea flere non sueris, vt possint per compunctionis gratiam relaxari. Quemadmodū enim rectè factis, ita peccatis quoq; communicas. Theophilactus quoque: Nam eorum, inquit, quæ illæ cōmissurus est, tu causa es, propterea quemadmodum bonorum operum particeps es, sic & peccatorū. Insuper & præteritorum peccatorū es reus, quod ea neglexeris, ac tenebras fecisti lucē, nec dimisisti eum vt lugeret atque ob commissa sua plangeret. Similiter Oecumenius, & Pelagius. Sic & Ambrosius. Nec illum, inquit, cuius peccata, ad

ta, ad suspicionem veniunt, præcipit ordinandum, ne commaculetur ordinator virtijs & delictis eius. Posset & sic intelligi. Nec cito aliquem ordines, antequam tibi de eius constituit probitate: & cum ordinarii officio suo male fungentē videris, mox eū amoueto, & corā omnibus conuictum arguito, ne nimia indulgentia, tum ipsius, tum plebis peccatorū particeps fias. De quibus autem peccatis agere propriè videatur, infra dicturus sum.

Te ipsum castum custodi. Chrysoft. De pudicitia, inquit, illi sermo est. Et addit: Quod si hæc scribit viro adeò sese ieunijs & aquę potu extenuanti, vt inde etiam egrotaret: quid nos facere oportet, aut quonam modo obseruare? Si ille æquanimiter tulit monitionē, quanto magis nos? Hoc præcipit (ait Pelagius) vt possit audēter arguere delinquentes. Ambros. comētarius. Hæc ait episcopus custodiēs, castum se exhibebit religioni. Generaliter intelligit castitatē. Sic August. castitatem à cōsensu alienorum peccatorum. Beda in hūc locum citat August. in sermone cōtra Pelagianū (quem inter eius opera non inueni) sic legērem, contiene te ipsum: Ut derur hic præceptum continentia. Sed nomen continentia generale est, sicut & indifferens ad castitatem à Venere, & à peccatis. Sicut Aug. pulcherrimè docet in aureo libello, quem scripsit de continentia.

Noli

Noli adhuc aquam bibere, Sed modico vtere vino. Quomodo hæc cohærent præcedentibus? Caluinus putat Apostolū diuersas sententias absq; ordine coniungere & permiscere. Et addit: Fieri, inquit, potest vt quod scripta iam epistola appositum fuerit extra ordinem versuum. Deinde librariorū in hūc locum errore obrepserit. Si hæc solutionem in scripturis admirerimus, multa huiusmodi passim confingi poterunt. Viderur mihi potius Apostolus agere hic de peccatis carnis atque intemperantia. Hæc enim peccata dum consummata sunt, & Thomā pessimè audiunt, & grauissimè reprehenduntur: (vt patet de Sixto, Symmacho, & Damaso pontificib⁹ adulterij accusatis) quo fit vt in accusationis materia recte de illis Apostolus agat. Rursus facilè his quisque polluitur consensu & communione, saltem inchoatione quadam per ebrietatem cōmissiones, lasciviam oculorum, & similia. Vnde Apostolus Ephesijs scribens & agens de peccatis carnis: Cap. 5. Nolite effici(ait) participes eorum, & nolite communicare operibus in fructuosis tenebrarum. Et ad Corinthios: Fugite, ait, fornicatiōnem. Et Christus describens malum præpositum, dicit eum edere & bibere cum ebriosis, & percutere conseruos. Sic Petr. 2. epist. dicit per desideria carnis, luxuriæ, pellici instabiles animas. Ratio autem huius in promptu est, quia

V ex no-

1. Cor. 6.

Matt. 24.

Cap. 2.

ex nobisipfis haber arma libido, & blanda, atq; amabilis est voluptas. Alia vitia, vt maledicētia, homicidium, etc. ipsa cogitatione horribilia sunt. Cum igitur iuberet Apostolus Timotheo ne facilē cōtra presbyterum recipiat accusationem, item ne peccatis ordinandorum contaminetur, nec assensum præbeat, præcipue ad intemperatiā peccata aduertat, dicit ei: *Caſtum te custodi*: ne propterea tamen vt hactenus posthac aqua in quotidiano potu vtaris. Et deinde hac instrūctione breui pro persona Timothei posita redit ad peccata ordinandorum. Sicut autem peccatum libidinis opere completum admodum turpe est, & occultis initijs valde contagiosum, ita quoque & hærefis, quæ tunc primum noxia præcipitur, cum altas radices egerit.

Ne poſt hac bibas aquam. Ostēdit (inquit Hieronymus cōtra Iouinianum lib. 2.) aquā ante potasse. Et Chrysostomus similiter homilia 1. ad populum Antiochenum. Erat Timotheus studio temperantia & castitatis nō natura abstemius, imitatus scilicet Rechabitas, qui ore Hier. 35. Hieremias ob abstinentiam vini à domino commendantur. Theophilactus: *Animaduerte*, inquit, quantos labores habens adhuc seipsum contriuerit affixeritque aquę potu. At Caluinus annotat dicēs: Apparet Timotheum non frugalem tantum in viatu, sed etiam austерum fuisse,

fuisse, vt qui ne valerudini quidem suę parceret. Ac certum est neque ambitione id ab eo; neque superstitione fuisse factum: vnde colligimus non modo à luxu & delitijs fluisse alienissimum, sed quo solutione esset ad opus domini, aliquid etiam ex ordinarijs alimentis reſcidisse. Placent hæc Caluinii dicta, eo excepto; quod putat Timotheum aquam potasse, non quasi ea abstinentia gratiorell esset Deo, quā sobrius potus vini. Hoc enim vocat Caluinus superstitionem, quod verò dicteū abſcidisse à ſe vini potum, vt ſolutione esset ad opus domini: fruolum est, cum per modicam vini portionē nemo à prædicatione impediatur. Non interdit autem ei omni aqua vſu, ſed tātum quotidiano. Is enim aquam hic bibere dicitur, qui ordinario hoc potu vtitur.

Sed modico vino vtere. Non absolute vinum concedit, ſed modicum, ſciens in viui potatione esse luxuriā. Putat Oecumenius, & Theophilactus Timotheum etiā ex alijs membris laborasse. Sic & Chrysostomus: Et hoc propter debilitatem ſtomachi & frequentes languores. Infirmitates non vocat graues ægrotationes, ſed debilitatem corporis. Pulchrè in hunc locum Ambroſius: Prudenter, ait, Deus ſibi ſeruiti vult, non vt nimietate ſua débiles fiant, & poſtea medicorum ſuffragia requirāt. Temperadū est enim, vt ſi fieri potest cœptum

obsequium gradatim prouehatur, quā per inconsiderantia minuantur. Intemperantia enim ipsam animam inquietam facit, vt cum de infirmitate sollicita est, non tantum dedita sit diuinis seruitijs. Damnum ergo affert improvidentia. Sed cur Apostolus non dixit simpliciter, Vtere vino, Nunquid periculum erat ne Timotheus inde ebrietatis ansam arriperet? Responderetur Apostolum hoc dixisse, vt persuaderet Timotheo cōtinētissimo vini usum, tanquam dicere: Scio te abstemium; & laudo continentiam tuam, sed hunc rigorem, ob debilitatem nonnihil relaxa: aut simpliciter docet eum temperantiam, vt Chrysost. ait, maximè ob id, quia & in veteri, & in noua scriptura dicuntur mali prælati declinaturi ad poculorum intemperantiam. Et hæc ratio placet. Rursum putant quidam Apostolum istud adiunxisse ad puniendas infidelium sannas, qui mox clamatur erant. O insignem Christianorum philosophiam, quæ ad vinolentiam inuitat. Mouet Chrysost. questionem: cur Timotheum Apostolus miraculo non sanarit? Vt, inquit, si viderimus viros magnos & virtute præclaros infirmari, nihil moueamur. Et illud enim siebat vtiliter. Si enim Paulo datus est an 2. Cor. 12. gelus Saranæ, ne extolleretur, multo magis Timotheo oportuit dari. Poterant signa illum in arrogantium tollere, idcirco medicinæ legibus il-

bus illum inseruire permittit, vt & ipse humilior sit, & cæteri non scandalizentur, discantq; quod cum naturæ nostræ illi essent virtutes tam exercevere, quas legimus. Haymo dat & aliam causam: quia miracula faciebat Apostoli propter infideles, sicut sanauit patrem Publij Act. 18. vt sanaret & menté eius: Timotheum non sanabar, vrpote plenum fide. Sic & Thomas dicit, quod vtebatur miraculis solum quādo expediebat propter fidem. Et fortè non potuisset Apostolus vbiique omnes sanare, sicuti nec se potuit liberare à stimulo carnis. Chrysostomus dicit, Cuius vestes mortuos suscitabant, etiam potuit oratione firmare stomachū. Pulcherrimè tractat hūc locum Chrysost. serm., ad populum Antiochenū (quem fortasse vocat librū de imaginibus Oecumenius, eo quod sequitur alias sermo tractas de imaginū Theodosij subuersione, qui prosequitur verba quædam huius epistolæ). Hoc nunc dixisse sufficiat, paukos admodum esse, quibus fit suadendus usus vini modici ob infirmitates, sed multis dicendum esse vt aquam bibant ob ebrietates & fornicationes.

Quorundam hominum peccata manifesta sunt. Græce est præmanifesta. Similiter ibi, Fata bona manifesta sunt, &c. Illud quoque, Quosdam etiam subsequuntur, verti potest, quibusdā subsequuntur, & supplēdo, in, in quibusdam subsequuntur.

sequuntur. Hieronymus in epistola ad Furiam de viduitate seruanda. Quod dicit, inquit, Apostolus istiusmodi est. Quidam tam libere & palam peccant, ut postquam eos videris, statim intelligas peccatores: alios autem qui callidè occultant virtutia sua, ex sequenti conuersione cognoscimus. Similiter & bona apud aliquos in proposito sunt: In alijs longo vsu discimus. Hieronymus huc locum ad humanum referit iudicium. & illud: Abscondi non possunt, sic intelligit, longa tandem experientia fieri, ut observerantibus cognoscere liceat vtrum quis vere probus sit, sicutem regulariter. Similiter interpretatur & Augustinus lib. 2. de ser. domini in monte. Manifesta sunt, inquit, ea de quibus clarum est, quo animo siant. Haec præcedunt ad iudiciū, quia si fuerit ista secundū iudicium, nō est temerarium. Subsequuntur autem illa, quæ occulta sunt, quia nec ipsa latebunt tempore. Sic & de bonis factis intelligendum est. De manifestis ergo iudicemus: Occulta vero Dei iudicio relinquamus: quia & ipsa abscondi non possunt, sive bona, sive mala, cum tempus aduenierint, quo iudicetur. August. ergo illud, Subsequuntur & abscondi non possunt, bona occulta ad futurum iudicium referit, sicut & Chrysostomus, & commentarius Ambrosio inscriptus. Sic & Basilius in lib. de virginitate in priori interpretatione. Quædam, ait, manifesta

festa omnibus sunt, quibus intuentes ad blasphemandum vel imitandum procedunt. Occulta vero, quæ clam & absque arbitris admis- sa sunt, non idē quia ignorantur ab hominibus impunita remanent: sed eos inseparabili- ter subsequuntur, ut & seipsa & patratorem suum ostendant, eatenus ignorantibus omnibus, ipsumque iusto iudicio tradant. Ita à suis sceleribus intercipitur infelix, dum & à ma- nifestis præcedentibus ad iudicium trahitur, & ab occultis perpetuò se sequentibus actibus im- pellitur. Ipsum denique sensum suum expo- nens Apostolus in consequentibus ait: Similiter & bona opera manifesta sunt, &c. Oportet enim nos qui nūc ignoramus cuiusmodi ope- rum simus, manifestari ante tribunal Christi. 2. Cor 5. Intelligent igitur hi, subsequuntur scilicet in notitia & manifestatione, hoc est, post manife- stantur. Graciigitur & commentarius Am- brosio inscriptus intelligent Apostolum istud dicere. Si ordinaris manifestos peccatores, co- municabis alienis peccatis. Si autem solum post ordinationem tuam, manifestetur tuam con- scientiā non grauabit quod eos ordinaris, quia occulta nosse non potuisti. Illud, Similiter & facta bona, sic cohæret. Similiter si nolueris or- dinare, qui boni quidem sunt, sed de quorum virtutibus nihil tibi constat, non eris reus, aut si qui velint aliquos à te ordinari iniuricos, &

V. 4 tu iusta,

tu iusta de causa recusaueris, etiam si non possis plebi persuadere te recte agere, animo ne deiiciaris. Bona facta enim tua nunc occulta suo tempore prudentur. Secundum Hieronymi expositionem (quaꝝ prꝫ cæteris placet) hic est sensus: Cum dixi tibi, manus nemini cito imponendas, nō locutus sum de aperte malis. Hi enim ante omnem inquisitionem manifeste reieci sunt; nec de apertissimè bonis, de quorū eximia virtute certo cōstat. In his enim nō est cita & temeraria ordinatio: sed ijs qui occulte sunt boni vel mali, & quorū bonitas vel malitia notoria non est: hos debes diu probare atque obseruare, nec cito manum imponere; Et si hos diu distuleris, vitam eorum, vel bonam, vel malam esse suo tempore cognoscēs. Hanc deductionem etiam Oecumenius recitat: Scio me, inquit, apud quendam sanctorum huiusmodi legisse interpretationē, quod quorum præcedunt peccata, hi manifesti omnibus sunt, sint ergo & tibi. Quos autem subsequuntur, hos tu obserua prospicientibus oculis: Si quid igitur præter hoc facias, communicabis peccatis alienis. Basilius in lib. de sancta virginitate dat etiam aliñ huius loci sensum, quem etiam recitat Theophilactus & Oecumenius, vt ea peccata dicātur præcedere sui authorem ad iudicium, quæ committuntur antequā hinc migret per mortē: ea verò eum subsequi, quæ difci-

discipuli eius vel qui per eum scadizati sunt, post eius mortem cōmittunt. Similiter ea benē facta præcedere, quæ hic fiunt; at ea sequi, quæ à discipulis & eius exēplum imitantibus exercentur, quasi diceret Paulus: Quorundam peccata in oculis Dei manifesta sunt, & eorū præcedunt condemnationem, quosdam autē præterea quæ hic ab eis commissa sunt, etiam alia iam damnatos subsequuntur. Similiter quedam opera ante æternam retributionem Deo sunt manifesta, quæ verò sequuntur, abscondi non possunt, sed in die iudicij omnibus patebunt. Secundum quem sensum id à Paulo dictū est, vt norit Timotheus bona ac mala ordinatorū opera ipsum securitatem. Verba Basiliū extant in commentario nostro super Decalogum circa 1. præceptum, Visitans iniquitatē patrū, etc. Cap. 68. Esa. 58. dicitur: Anteibit faciem tuam iustitia tua: Et Dei facié præcedit misericordia & ve- Psal 88. ritas. Et: Iustitia ante Christum ambulat. Ho- Ibid. 84. minē antecedit iustitia: quia in oculis Dei præcedit præmium eius, vel quia maior est in eo, quam iniquitates: Dei faciem, quia per hæc innotescit vel præcedunt antequam hominē inhabitet. Ambrosius etiam aliter exponit, vt dicantur quorundam peccata esse manifesta, quia eminentia sint, & maiora præ benefactis, & eos præcedentia ad condemnationē: Quosdam verò, népe iustos sequi, quia minora sint quam

quā eorū bona nec eis dominētur. Similiter in his dicūtur bona facta præpōderare & excellentiora esse, & quæ sunt mala & bonis operibus præponderant, per bona opera abscondi, siue ignosci non possunt. Hæc expositio non habet, quod peccatum mortale non remissum possit multis bonis operibus tegi: Docet enim peccata, vel multitudine, vel acerbitate eis præpōderare. Et videtur hoc modo sensus hic textui congruere. Cum dixi tibi, ne cōmunices alienis peccatis, nolo te ab ordinib⁹ reijcere leuib⁹ delictis laborantes, vel qui insignib⁹ operibus commissa texerunt, sed eos grauibus peccatis subiacent: eos autem quos peccata sequitur ordinare nō prohibeo. Ambrosius sic ait: Aduertis quēadmodū peccatū propriū deplorauerit, quis igitur miretur ei esse dimissum? Nūc cōsideremus opera eius quibus potuit tegere peccatū. Etenim quia nō potest sine peccato esse humana fragilitas, caendum ne plura peccata sint, quam opera virtutum. Quid magna vi sapientiæ S. Paulus exp̄s̄it, dicens: Quorūdam hominum peccata manifesta sunt pr̄cedentia ad iudicium, quoniam autem & subsequuntur, hoc est, non inuenitur quisquam illibatus à culpa. Habet quis bona merita, haber & vitia a qua peccata. Omnia itaque nostra quasi in trutina ponderantur. Si bonis igitur factis peccata præpondent,

Lib. de
Apolo-
gia Da-
uid ca. 6.

rant, abscondi non possunt. Ergo talia non teguntur, nō obumbrat ea charitas, quæ operit multititudinem peccatorum; non operit bonorum gratia: non abscondit virtutum multitudo, quia nuda & intecta produntur, non enim est in ijs qui dicat: Sub vmbra alarum tuarum protege me. Crux enim Domini omnes abolet atque abscondit errores. Quis igitur magis operuit & texit quam S. David, qui & alibi ait: Et in umbra alarum tuarum speravi, donec trāseat iniq̄itas, & sic dilexit dominum, vt nimia charitate peccatum omne tegeret atque abscondebet? Chrysostomus similem penē in modū videtur

rant, præcedunt ad iudicium; vergunt enim peccata quasi in profundum, vergunt, quia & manifesta sunt, vel pondere atque acerbitate, vel multitudine. Quosdam autem (inquit) & subsequuntur, hoc est, eos qui se egerint sobriè, sed fragilitate conditionis dederint aliquando etiam errori locum, bona facta præcedunt, mala sequuntur. Hi honestiores, sed tamen homines, lapī leuioribus vitijs & erratis. Ergo iustos sequuntur peccata, non præeunt: iniustos præcedunt & præponderant peccata quæ vergunt. Sequuntur autem si qua recte facta sunt, quasi quodam præiudicio peccatorū præeuntium prægrauata. Similiter & facta bona manifesta sunt, lucent enim opere virtutum & splendore meritorum, & quæ aliter se habent, abscondi non possunt. Ergo talia non teguntur, nō obumbrat ea charitas, quæ operit multititudinem peccatorum; non operit bonorum gratia: non abscondit virtutum multitudo, quia nuda & intecta produntur, non enim est in ijs qui dicat: Sub vmbra alarum tuarum protege me. Crux enim Domini omnes abolet atque abscondit errores. Quis igitur magis operuit & texit quam S. David, qui & alibi ait: Et in umbra alarum tuarum speravi, donec trāseat iniq̄itas, & sic dilexit dominum, vt nimia charitate peccatum omne tegeret atque abscondebet? Chrysostomus similem penē in modū videtur

IN I. AD TIMOTHEVM

detur interpretari istud de peccatis, & graui-
bus, & quorum nulla fit correctio. In 2. enim
expositione dicit, Quid est præcedentia ad iu-
dicium? Cum scilicet quis peccauerit, quæ il-
lius conscientiam damnant, cum quis corrigi
rennuit; cum qui emēdationem pollicitus est,
opere implere non vult. Hic certè ostendit se
Chrysostomus iudicium pro condemnatione
accipere; & ea ad damnationē præcedere; quæ
& hominem superant, & poenitentia non su-
perantur. Et subdit: Cur ergo istud dictum est?
Quia et si hic lateant quædam, ibi tamen latere
non poterunt, ybi nuda sunt omnia.

IN CAPVT S E X T V M.

 Vicunque sunt sub iugo serui, dominos
suos omni honore dignos arbitrentur.
Hic inquirendum est an vñquam
fuerit manifesta aliqua hæresis, do-
cens seruos fideles non esse domini-
nis suis, saltem infidelibus obnoxios. Certè in
nullivis, quod equidem sciam, hæreticorū cata-
logo hoc inuenitur. Et verisimile est nullā hu-
iuscemodi hæresim fuisse: Neq; enim quisquā
vir doctus aut alicuius nominis fuit, qui hu-
iuscemodi hominum gratia qui non fecus atq;
pecudes habebantur, hæresim fuscitaret. Vide-
tur tamen erronea quorūdam fuisse doctrina,
existimantium seruos quod Christianos iam
factos

C A P V T VI.

151

factos dominis suis non debere subesse. Chry-
sostomus in hunc locum: Non (inquit) quia fi-
delis es, liberum te esse putas. Hoc enim liber-
tatis documentum est seruire magis. Et Hiero-
nymus: Plurimi inter initia fidei (air)puta-
bant gentiles dominos contemnendos. Au-
gust. quoque in quæst. super Exodum: Vnum
quodammodo (inquit) argumētum seruorum
ponit. Quæ de seruo Hebræo præcipiuntur vt
sex annos seruat & dimittatur liber gratis. Ne
serui Christiani hoc flagitarent à dominis suis
Apostolica authoritas iubet seruos dominis
suis esse subiectos, ne doctrina & nomen Dei
blasphemetur. Illud enim ex hoc satis constat
in mysterio præceptū, quia & pertundi subula
eius aurem ad postem præcepit Deus, qui li-
bertatem illam recusaret. Etsi autem nulla
talis fuisset doctrina, statim mox tamē ybi au-
diunt miseri omnes esse fratres, animos tollit,
& ad carnis libertatem id rapiunt. Deinde in-
fœlicibus mancipijs etiam si nihil tale in men-
tem venisset, necessaria erat exhortatio & cō-
solatio, quæ ærumnarum multitudinē & acer-
bitatem tēperaret. Pulchrè Chrysost. in 2. cap.
ad Titū: Quod si (inquit) seruum fortasse con-
spexerit apud se in Christo philosophari, atque
vberem continetiæ fructum præ se ferre, sum-
maq; cum modestia atque benevolentia do-
minis ministrare, profectò vim prædicationis
atque

In 6. cap.
epist. ad
Ephes.
Cap 77.

Exod. 21.
Deut. 15.
Hiere. 14

atquē religionis nostrę mirabitur; Neq; enim ex verbis dogmata, verum ex ipsis rebus atq; vita Gentiles iudicare consueuerunt. Sint igitur illis, & vxores, & serui in magisterium reūfissimę cōuersationis norma. Quippe & apud eos & vbiique terrarum istud pro confessio habetur, seruorum genus imprudens fermè esse, formatuque difficile, lascivum, lubricum, pa- rumque idoneum ad virtutis doctrinam capessendam. Non id quidem naturę causā: Ab sit, verum propter conuersationis virtusne negligētiam. Solēt enim huiusmodi in his, quæ mores tangunt, à dominis negligi. Nihil enim fermè aliud curant hi, in quorū potestate sunt, quam ministerium suum. Quod si mores illo- rum aliquando componere studeant; & hoc sui gratia tantum faciunt, ne istis negotia præbeant, molestijs, sint, si fornicationi, furto, aut ebrietati deseruant. Cum itaque sic negligantur, neminemq; habeant, cui componendi illos ac formandi studium sit, meritò ad ipsa nequitiae prærupta atq; præcipitia deuoluuntur. Si enim vbi pater initiat, & mater, & paedago- gus, ac nutritius, & magister, & æquales, ipsaq; libertatis opinio, & alia plurima, perdifficile quispiam malorum contubernia, confortiaq; deuitat: quid putas his omnibus destitutos, qui quotidie scelētis commiscentur hominibus, & quibus volunt licenter cōgrediuntur, cum sit ne-

fit nemo, qui eorum amicitias societatesq; dis- quirat: Quid (inquā) arbitraris huiusmodi ho- mines fore? nonne ad supremos scelerum ver- tices euasuros? Idcirco profectō difficile est ser- um fieri bonum. Præterea neq; doctrinæ ad- miniculo perfruuntur, neque externa, neque nostra erudiuntur sapientia: Non cum viris li- beris educantur & honestate præstantibus: & quibus opinionis suæ, ac gloriæ magna sit cu- ra. Ex his omnibus datur intelligi, difficile es- se, atque mirabile, ut seruus aliquando bonus, atque utilis fiat. Cum igitur perspexerint ge- nus adeò prudens, adeò illiberum, veluti fræ- nis impositis ex religionis nostræ cultu hone- stius omnibus euassisse, atque modestius, etiam si valde stolidi fuerint atque irrationalibes do- mini, magna profectō cōcipient de fidei ac re- ligionis nostræ dogmatibus. Constat enim re- surrectionis spem, ac iudicij metū, & omnium post mortem reliquorū, quæ apud nos in stu- dio sunt, prius illos altius imbuuisse animos atq; ita nequitiam ab se arcere voluisse timorem quendam vitiosis voluptatibus opponendo, animabus suis penitus inferendo. Non igitur simpliciter, neque absque certa ratione omni- bus in locis de his multa præcepit, & magna cura disposuit. Quanto enim deteriores illi fuerint, tanto magis si cōuertantur ad bonam frugem, virtus prædicationis eminebit. Nam & me-

& medicum tunc in primis admiratur cum desperatum ab omnibus, & omni auxilio destitutum, neque ab improbis concupiscentijs se continere valentem, verum illis ipsis inuolutum atque inuersantem ad sanitatem reuocauerit, morbumque correxerit. Hæc Chrysostomus. Meminit autem Apostolus seruorum Ephes.6. in epist. ad Ephes. ad Colossem. & hac, quæ est
Colos.3. ad Ephesiorum episcopum: eo quod in Asia plurimi serui essent, & verè seruili ingenio. Vnde Cicero pro Lucio Flacco, in testes Asiaticos. Asia, inquit, vestra constat ex Phrygia, Myisia, Caria, Lydia. Vtrum igitur nostrum an vestrum est hoc proverbiu[m]: Phrygem plagi fieri meliorem. Sic & Petrus in epistola priori Asianis scripta, multa seruis diligenter inculcat. Et Onesimus seruus furax, Colosse[us] erat. Eadem ratione & in epistola ad Cretensem episcopum subiectionis seruoru[m] meminit: Noverat enim Paulus cuiusq[ue] gentis virtus & proprietates. In priore autem ad Corinthios epist. et si seruitutis meminit, magis tamen apparet ob coniugium, quam ob seruos ex proposito monendos id fecisse. Docet hic ergo Apostolus episcopum, quid seruis præscribere debat, eò quod nec vilissimos hominum neglegat Christus. Sub iugo autem esse dicuntur, qui conditione sunt serui. Homo naturaliter superbus semper sibi videtur reliquis præstavior, ideoq[ue]

Ideoque non fert alterius imperium: at si necessitate ferre cogatur iniuitus & tremens intra se ac obmurmurans iusa compleat. A seruis Christianis hæc omnia præscindit Apostolus, docens ut dominis suis etiam gentilibus omnem honorem ac reverentiam voluntariè ac libenter exhibeant, cuius præcipua pars est obediētia & studium utilitatis domini. Et rationem reddit: quia sub iugo, inquit, sunt. Non (inquit) inquiras, num te melior fortuna deceret, satis est te esse obstrictum & obligatum, ut ista facias: Satis est sub iugo te esse. Nec solum vult Apostolus, ut serui dominos honorent, sed ut etiam impios, astiment verè honore dignos. Omnis superior ac dominus eminetiam à Deo accepit, & vice Dei in regendo fungitur, hoc honorabile est etiam in impiis sed impietas honoranda consensu non est.

Ne nomen Dei & doctrina blasphemetur, id est, maledicatur, male audiat. Argumentabantur serui: Iniquum est ut filij diaboli imperent filiis Dei. Argumentatur Apostolus: iniquum est ut filij Dei causam præbeat cur Dei nomen & doctrina contempnatur: Cum enim serui satris alioqui infideles & dominis suis inobedientes iam Christiani facti non modo non emendarentur, verū etiam furaciores magisque immorigeri redherentur, mox idololatriæ domini, Christo & doctrinæ eius obtrectabant tan-

X quam

I N I . A D T I M O T H E V M

In epist.
ad Titū.

quam ea seditioſa foret & contumaciam huius
causa. Sic Oecumenius. Et ſecundum Chry-
ſoft. haec eſt præcipua cauſa, cur tantopere fer-
uis Christianis mandetur ſubieſtio: ut domini
bene afficiatur Christiana religioni. Quinimò
minus dicit Apoſtoliſ, & plus intelligit. Ne,
inquit, nomē Dei blaſphemetur: Imò volo ut
per veſtrām obedientiam & mutationem pra-
uæ vita in bonam etiam domini ipsi conuer-
tantur. Sic Chryſoft. Theophilactus paulò ali-
ter intelligit. Nam infidelis, inquit, ſi cōſpexe-
rit te cōtumacem, vituperabit verbum euangeli-
j ceu ſeditioſos faciat. Sin cum gratitudine
obedientem viderit admirabitur potius ver-
bum ceu perficiens feruiles mores alioqui in-
tractabiles, & qui haud facilè cōponi queant.
Intelligit igitur ille, infideles calumniaturos
omnia apud Christianos eſſe ſimulata, prædi-
care eos humilitatem, patientiam, & obedien-
tiā, ſed nihil amplius quam nos p̄raſtare.

Mirum erat dominos à feruis ad fidem ad-
duci potuisse. Sed in primitiuā Ecclesia domi-
ni Christianismo mitiores facti, facilius feruos
ad fidem alliciebant: vnde in geſtis Sebaſtiani
legitur mille quadringentos promiscui ſexus
homines ex familia Chromati vrbis p̄fetti,
vna cum eodem à Polycarpo presbytero bap-
tizatos eſſe. Rurſus in Actis S. Laurentij re-
fertur totam Hyppoliti familiā, in qua ferui
erant

C A P V T VI.

154

erant quam plurimi, vna cum ipſo domino
Chrifi fidem recepisse. Similiter in geſtis Ste-
phani Papę martyris, dicitur cum tribunis Ne-
mefo & Olympio omnis eorum familiā con-
uerta. In vita sancti Hermetis legitur, quod ip-
ſe cum vxore, filijs, & forore ſit baptizatus
vnā cum 1250. feruis, vxoribus quoque & fi-
liis eorum, priu tamē illis ingenuitate con-
ceſta.

*Nomen Dei, id eſt, Christi. Si per improbos vi-
liſſimorum feruorum mores, nomē & doctri-
na Dei blaſphementur, quanto magis per fa-
ſerdotum & doctortum?*

*Qui autem fideles habent dominos. Et haſtenus
quidem de feruis infidelium dominorum, cu-
iū ſmodi initio euangeli cōplures fuere. Nunc
de ijs agit qui fideles habebant dominos, qui
quoniam nunc per Christianismum conſerui
facti erant & tā quam fratres & qualitatē ſta-
tuere conabantur, ac collere dominium. Oc-
currit ergo his Paulus, monētque ut quod fi-
deles ſint domini lubetius ijs atque ex animo
ſe ſubijciant. Oecumenius; magis, inquit, fer-
uiant, timori ſcīlicet etiam adiungentes dile-
ctionem. Dilecti, ſint domini à Deo.*

*Qui, vel quia, beneficij particeps ſunt: hoc eſt,
quia ipſi ferui victum & veſtitū à dominis ac-
cipiunt, & eorum opera ad Christianismū ve-
nerunt, vel in eo fouentur. Sic Chryſoftomus;*

X. 2 Oecu-

Oecumenius, Theophilact. & Pelagius. Oecumenius & alium indicat sensum, sic dices: Magis inseruant, scilicet serui. Per hyperbaton enim ponitur. In medio autem locetur. Quod fideles sint ac dilecti, & subaudiendum est, domini: Aut simpliciter, ut habet, intelligendum est, qui beneficiū recipiunt, hoc est, domini curam habeant, ut etiam seruis benefaciant. Secundum hunc posteriorem sensum, illud: Qui beneficij participes sunt, accipitur pro eo quod est, qui beneficium à seruis non donatum, sed redditum accipiunt, vt pote pro victu, atq; vestitu, quem seruis elargiuntur, beneficium resumunt tantum, non sumunt seruitiuim, sed repensum accipiunt. Posset & sic intelligi: Qui, domini, beneficij Christi participes sunt, etc. vt sic ferè idē cum eo quod est, dilecti (à Deo). Chrysostomus videretur illud, Qui beneficij particeps sunt, accipere actiue hoc sensu, Qui beneficium seruis retribuunt, ita dicens: Longè maiora à domino seruis inferuntur, quam à seruis domino. Illi nempe sunt, qui aurū impendunt, & pro rebus ad victum necessarijs comparandis, & pro indumentis, & cæteris omnibus, vt maiorem illos seruitutem seruis præstare dubiū non sit. Idque significat dicens: Quoniam fideles sunt & dilecti, qui beneficium sumunt, & laborat pro quiete vestra, & in ærumnis sunt.

Hæc

Hæc doce & exhortare. Hæc doce, scilicet, cum authoritate, exhortare cum mansuerudine & lenitate. Hæc doce ignorantes, exhortare scientes, sed negligentes. Ambrosij commentarius vult manifestari doctrinam dominicā, vt obtrectorares studeant, quia non est quod reprehendatur in ea: considerantes pariter, quæ in sacris eorum sunt occulta & turpia, & erubescant. Secundum Ambrosium igitur, hæc ad Gentiles pertinent. Graci referunt magis ad fideles, ut sit sensus: In istis docendis quotidie incumbe, & doctrinæ exhortationem adiuge. Hæc omnia quæ suprà dixi, de viduis, de hæresibus, quanquam Ambrosius ad doctrinam de seruis (vt in verbis suprà dictis liquet, referre videatur. Quem sequitur Haymo, additq;: In hoc loco (scilicet si quis aliter docet) Iudeos notat, qui dicebant non debere seruum in servitio teneri nisi sex annis secundum legis preceptum. Sed dicit beatus August. quod illud spiritualiter intelligendum est & magnum mysterium in se continet, quod illi carnaliter obseruabant. Et dicit omni tempore quo vixerit seruis debere dominis suis seruire, nisi ab eis libertatem promeruerit. Sed contra hæc obiicitur ex lib. 3. decretal. cap. 1. & 2. titulo de Iudeis & eorum seruis, vbi prohibetur ne famulus Christianus seruat Iudeo. Similia habet Gregorius lib. 3. Registri cap. 9. videntur

Exod. 21.
Deut. 15.
Quæst.
77. luper
Exodu.

X 3 ergo

ergo canones aduersari Apostolo. Respondet
ad hoc Ioannes Driedo. Cum Paulus (inquit)
præcipit seruis vt subditi sint, intelligitur quâ-
clu serui manserint. Sed non prohibet Paulus
seruos illos lege Imperiali posse fieri liberos,
authoritate superioris habentis ius & domi-
nium super dominos seruorum illorum. Cum
ergo Iudæi commorantes in terris Christiani
Imperi, sint subditi Imperatori, imò & serui
eius; consequens est eum posse Iudæos fidem
Christi contemnentes priuare dominijs & bo-
nis iure gentium ijsdem debitum. Hæc ille. Qui
etiam legem Iustiniani citat ex C. de clericis
& episcopis, l. final. sic dicente: vt neque Iu-
dæus, neque hæreticus seruos Christianos ha-
beat: quod si inuenti in tali reatu fuerint, san-
cimus seruos modis omnibus liberos esse, se-
cundum anteriorem legum nostrarum teno-
rem. In præsenti autem hoc amplius decerni-
mus, vt si quis ex prædictis Iudæis, vel pagani,
vel hæreticis habuerit seruos nondum ca-
tholica fide imbutos, & prædicti serui deside-
rauerint ad orthodoxam fidem venire, tum
postquam Ecclesiæ Catholicæ sociati fuerint,
in libertatem modis omnibus secundum præ-
sentem legé eripiantur. Hæc Iustinianus. Hæc
autem potest constituere Imperator, sicut &
ipse Deus in veteri testamento constituit lege
judicali, vt Iudæus seruus septimo anno liber
esset,

Exod. 21

Lib; de
lib.Chri-
stiana,c.
zo. folio
706.

eset, licet ibi etiam mysteriū lateat. Hanc igi-
tur legem & similes sequuntur canones. Et in
primis quidem Matisconē. conciliū (ex cuius
canone 16. scriptum est primum illud, & se-
cundum caput in Decretalibus de Iudæis, &
eorum seruis) quod expreſſè legum meminit,
& disertis verbis docet seruos Iudæorum qui
in possessionibus eorum habitant, et pésiones
eis exinde soluunt, licet legum districione li-
beri sint, in agris tamen eorum ad rura coléda
manere debere, et consuetas pésiones soluere;
quia videlicet non est eis ibi à dominis infide-
litatis periculum, vt Iudæi non habet, quod de
Christianis querantur. Legibus imperialibus
canones multo sunt mitiores: volunt enim hi
Iudæis preciū dari, et seruos agrarios non ma-
numittunt: Item prohibent ne Christianos
emant; non autem, ne empti seruant. Sic ha-
bet concilium Matisconense l. cap. 16. Et licet
quod de christianis, qui aut captiuitatis incur-
su, aut quibuscumque fraudibus Iudæorum ser-
uitio implicantur, debeat obseruari, nō solum
canonicis, sed et legum beneficio iampridem
fuerit constitutum: tamen quia tunc ita quo-
rundam querela exorta est, quosdam Iudæos
per ciuitates aut municipia cōsistentes, in tan-
tam in solētiā aut proteriā prorupisse, vt
nec reclamantibus Christianis liceat, vel pre-
cio de eorum posse seruitute absolui: idcirco

præsenti cōcilio, Deo authore, sanctius, quod qui Iudæo deinceps debeat deseruire, datis pro quolibet bono mancipio 12. solidis, ipsum mancipium quicunque Christianus, seu ad ingenuitatem, seu ad seruitium licetiam habeat redimendi: quia nefas, vt quos Christus dominus sanguinis sui offusione redemit, persecutorum vinculis permaneant irretiti. Quod si acquiescere his, qua statuimus, quicunque Iudæus noluerit, quā diu ad pecuniam constitutam venire distulerit, liceat mancipium ipsum cum Christianis, vbiq; voluerit habitare.

Cap. 65. Et 4. concilium Toletanum: Ex decreto gloriissimi principis, hoc sanctum elegit concilium, vt Iudæis non liceat Christianos seruos, nec Christiana mancipia emere, nec cuiusquam consequi largitate. Nefas est enim, vt membra Christi, seruant Antichristi ministris. Quod si deinceps seruos Christianos, vel ancillas Iudei habere præsumperint, sublati ab eorum dominatu, libertatem à principe consequantur.

Porrò sicut per Christi euangelium idolatria toto orbe paulatim extincta est, ita serui quoque ab hac misera seruitute manumissi sunt, ac omnis ea penè sublata est. Sæctus Hermes 1250. seruis suis exceptis viroribus & filiis eorum in baptisme suo libertatem seu ingenuitatem concessit. Sic Leo primus in omnibus ferè Quadragesimæ sermonibus id orat, vt domi-

domini seruos è vinculis relaxent, & delicta condonent. Vide sermonem eius 2. de Quadragesima, quibus similia habet sermone 1. 3. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 12. quæ recte intelligi nō possunt, nisi sciamus ipsum de seruis agere quos domini in vincula & carceres coniecerat: Dominorum, inquit, atque seruorum tam ordinati sint mores, vt & illorum potestas mitior, & istorum sic disciplina deuotior: Hac obseruantia, dilectissimi, obrinebitur misericordia Dei, & abolito peccatorum reatu religiosè venerandum Pascha celebrabitur. Quod & Romani orbis piissimi Imperatores sancta antiquitus obseruatione custodiunt, qui in honorem dominicae passionis altitudinem suæ potestatis inclinat, & constitutionum suarum severitate mollita multarum culparum reos præcipiunt relaxari, vt in diebus quibus mundus saluatur, miseratione diuina, etiam ipsorum supernæ bonitatis imitatrix sit æmulanda clementia. Imitentur igitur Christiani populi principes suos, & ad domesticam indulgentiam regijs incitentur exemplis: Non enim priuatas leges fas est austeriores esse, quam publicas. Remittantur culpas, vincula soluantur, deleantur offendæ, pereant vltiones, vt sacra festivitas per diuinam atque humanam benignitatem omnes letantes, omnes habeant innocentes per dominum nostrum Iesum Christum.

Si quis

Si quis aliter docet: Redit ad id quod vehementer eum angebat, de quo in principio dixit, ut denunciarès quibusdā ne aliter docerēt, etc. Et licet Græca vox posset etiam communis esse discéntibus & diuersam doctrinam sequentibus, non docentibus alios, ex ijs tamen quæ in principio epistolæ dicuntur, & his quæ hic sequuntur, patet mentionem fieri de doctoribus. Potest autem & sic verti, Si quis alia vel diuersa docet; eodem sensu cum nostra interpretatione. Sicut autem primo capite ostēsum est non fieri mentionem de Catholicis friuola, vel falsa miracula, & nugas docentibus, sed de ipsis pseudoapostolis Iudaismum seminātibus, & mysterium Christi peruertentibus, ita & de iisdem hic fit mentio. Sic Ambrosius discrepantes à disciplina catholica spernendos præcipit, qui conuicti et correpti acquiescere nolunt perturbatione mētis prauæ. Et Oecumenius: diuersam doctrinam ab ea quæ recta est intelligit. Qui verò mysterium gratiæ Christi et redēptionis euertunt propriè diuersa à Paulo dotent, quippe qui gratiæ et euāgeliij prece fuerit. Is igitur propriè alia docet, non qui negat Deum creasse corporalia, etc. sed qui, cum in omnibus conueniat, in gratiæ tamē mysterio dissentit. Sic in epist. ad Galathas euersores gratiæ aliter docentes appellat.

Et non acquiescit. Intelligit Ambrosius cor
reptus

reptus scilicet et conuictus, qui posteaquam ei veritas satis declarata est, nihilominus in diuersa doctrina persistit. Haymo et Lombardus diuersam doctrinam intelligunt eam quæ tradit seruos fideles dominis infidelibus subiectos non esse: verum id non placet; nā prior expositio alijs locis est conformior: quāquam fortasse, ex eo quod Iudaizantes qui veterem legē mordicus obseruari volebant, & proinde etiam eam quæ de serujs anno septimo manu-mittendis agit tradebant, inciderit denuò in eorum mentionem, quatenus euangelium destruebant.

Savis sermonibus domini nostri Iesu Christi: Non est verisimile quenquam Christianorū Christi reprehendisse doctrinam. Sensus igitur est: qui non acquiescit doctrinæ ipsis Christi, putans scilicet eam non esse Christi, etc. Doctrina verò Christi (teste Oecumenio) est doctrina fidei quam Christus hic docuit. Sed videtur rectè etiam explicari posse ut dicantur hic sermones domini nostri Iesu Christi, qui sunt de domino Iesu Christo, sive de mysterio quo ipse noster fernator effectus est, sicut vocatur euāgeliū Christi, quo Christus annunciatur. Sic ad Rom. 10. auditus per verbum Christi, quo nimirum Christus annunciatur: Sed hic sensus idē ferè est cum priore, præcipua enim Christi doctrina fuit, quod hominum esset saluator.

Sana

Sana autem ea dicitur, non solum, quia in se integra est, sed quia verum saluatorē demonstrat, sicut Apostolus ferè sanam doctrinam Christi appellat, cum agit contra Iudaizantes, ut tum in hac epistola, tum secunda ad Timotheum, & epistola ad Titum. Et August. contra Pelagium, scribens catholicam doctrinam ex diametro Pelagio aduersantem, sanam vocat, ut in epistola ad Sixtum 105. tractas illud, gratiā pro gratia: hoc nihil salubrius fides credit, quia nihil verius intellectus inuenit: Et libro contra duas epistolās cap. 14. Hæc est fidei catholicæ sanitas, quam sanctus ubique seminat spiritus, non prauitatis hæreticæ vanitas, non spiritus præsumptio: Et de natura & gratia cap. 68. meminerimus Christianos instruere hac sanitate doctrinæ.

Et ei que secundum pietatem est doctrina. Idem est cum eo quod præcedit: Doctrinam sanā Iesu Christi vocat doctrinam secundum pietatem, hoc est, quæ docet verè pium esse, verè Deum colere, cuius cultus in eo præcipue consistit, ut cognoscamus eum (prout testatur ista secundum pietatem doctrina) omnium quæcunq; demum desiderāda sunt bonorum gratuitum esse propter Christi meritum largitorum, gratis omnia donātem, sine pretio omnia vendentem, & ut hæc cognoscentes gratias ei pro acceptis agamus, agentes pro accipiendo-

Ioan. I.

inuo-

inuocemus. Hæc doctrina est de gratia Dei: Vide August. de spir. & lit. cap. 11.

Superbus. Libri Latini non habent, est, nec Haymo videtur legisse, eoque supplet. Græcè est superbus, vel inflatus est. Superba autē reuera, imò grauissima erat superbia Phariseorum, Iudaizantium, & Pelagianorum doctrina: Sanos enim se credebant, suisque insuper viribus legem posse implere. Atque ita sibi tribuebant, quod ex sola Dei gratia expectādum erat: eidem superbiæ insipientes, quam primis parentibus serpēs inspirauit cum diceret: Eritis sicut dij: quo siebat vt ab omni se peccato immunes astimarint. Vide August. lib. de spir. & lit. cap. 7. & 11. Et cap. 9. epist. Cœlestini. Ad Philip. 3. notat Apostolus Iudaizantes quod confidant in carne, & ad Rom. 2. & 3. quod in Philip. 3. lege & iustitia sua glorientur. Erat autem superbia hæc causa cur à doctrina pieratis quæ docet à Christo petendam esse iusticiam, declinarent. Id, quod hæreticis omnibus solēne est.

Nihil sciens: videlicet de doctrina euangelica, cuius tamen scientiā (quæ est regularis hæreticorum omnium temeritas, qua scientiam pollicentur & veritatem apud se esse iactitant, ut inquit August. epistola 56.) vendicant, miraque sibi ob id placent, volentes esse (ut supra dixit) legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Et

ad Re-

ad Roma. habent zelum Dei non secundum scientiam. Alioqui non negar eos scire vnum esse Deum creatorem omnium , futuram esse mortuorum resurrectionem . Quéadmodum enim dicit August. lib. de vnicō baptis. cap.5. contra Petilianum, hanc nos per maiores nostros traditam nobis sequentes Apostolicā regūlām, si quid recti etiam in peruersis inuenierimus, eorū peruersitate correctā, illud quod rectum est minimē violamus ; vt in uno homine ex his quæ vera tenet, etiam falsa emendentur, non ex falsis conuictis, etiam vera destruantur. Sic Iudaiz dicitur, Tene fidem resurrectionis mortuorū, sicut tenebas, sed crede iam Christum resurrexisse à mortuis, quod nō credebas. Dicit igitur Apostolus Iudaizantem doctore nihil scire de primo ipso religiōnis nostræ capite, Dei videlicet gratia. Et idē absolutè nihile unū scire pronūciat, quia quantumvis multa quis sciat de Deo &c rebus diuinis, si tamen præcipuum qua ad Deum peruenitur viam ignoret, recte nihil scire dicitur. Præcipua aurem via quæ ad Deum ducit est Christus , & agnitio tum gratiæ ipsius ac propriæ iniquitatis & infirmitatis , tum corporis ipsius , quod est Ecclesia , in qua &c per cuius preces & communionem gratiam suam communicat ; Vnde tolerabilius est, errare nō nihil sine pertinacia circa naturam Dei vel Trinitatis, quam

tis, quam circa Christi gloriam vel Ecclesiam. Nam ille quidē error circa rem sublimiorem, hic autem circa nobis hoc tempore & utiliorē, & magis necessariā versatur. Hinc scriptura in Christi gratia & Ecclesia cōmendanda tota occupata est: Vide August. de spirit. & lit. cap.34. &c Enchirid. cap.98. & lib. contra Admantum cap. 16. Non in ipsis vmbbris, inquit, est spes ponenda, sed in rebus quas illæ vmbrae vēturas significabāt, id est, Christum & Ecclesiam. Illud autem est Euangelio contrarium, vt quisque rem deserens , quæ per illam vmbram figuratur, ipsis vmbrae sequatur inanitatem, quod volebant qui gentibus in Christo credentibus iugum circuncisionis, quasi ad salutem necessarium imponebant. Annotat hic Chrysostomus cum suis etiam ignoratiā inflare, eam maximē quod Christus propter nostram salutem se exinanivit; Et illius, Quid habes quod non acceperisti? Si autem acceperisti, quid gloriaris, quasi nō acceperis ? Ex quo patet Chrysostomum hunc locum , sicut & initium capitis epistola huius referre ad inflationem Iudaizantium . Experientia etiam satis discimus, quam veri Christianismi ignorantia inflat, quemadmodum & periculorum ignorantie fortitudinem quisque falso sibi pollinetur: Imò etiam mysterij crucis Scientia arrogantiam gignit, nisi Dominicæ crucis gratia
Philip. 2.
1. Cor. 4.
reprimet.

reprimatur. Propter quod & ipse Apostolus ab angelo Sathanz stimulo carnis sua colaphizatus est, qui ut auferretur, nec prece quidem impetravit.

Sed languens, hoc est, ægrotas animo, delirus, despiens. Opponitur autem hoc illi quod dixerat sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & conuenit curiosis omnibus eitra fidem, veritatem quæribus. Omnes enim homines vitiari & ægro sunt animo per peccatum, sed qui fide, propriæq; infirmitatis & Christi gratiæ agnitione ipsi Christo adhæret paulatim sanitati restitutur; At qui neq; gratiam Christi nouit, neq; suam debilitatem agnoscit, languori semper & infirmitatiæ obnoxius est. Vnde Augustinus epistol. ad Paulinum 106. Nou ob aliud, inquit, meretur accipere quis ampliora, nisi piè fideliterque sciēdo à quo bona sibi sunt omnia. Et in lib. de spir. & liter. cap. 13. ostendit eum longè perfectioris fidei filium, qui nouit à quo spiret quod nondum habet, quam qui sibi tribuit id quod habet. Et Prosper epist. 84. inter epist. Ambrosij loquens de languore horum superborum: Hoc est (inquit) propria fiducia inflari, hoc vanam gloriam quibuslibet ambire dispendijs: hoc postremò est nolle habere quæ Dei sunt, & ibi suum cōstituere meritum, vbi diuinum cessavit auxilium, hæc superbia omni peccato nocentior, omni genere est elā-

est elationis insanior. A quibuslibet enim lapsibus delictorum facile surgitur, quādū openi à reparatore suo poscit elisus: huic autem ruinæ nihil subuenit, quia aut difficile peccatum suum superbus agnoscit, aut etiamsi intellexerit nō currat ad medicum, sed de se remedium sibi promittit: Nec vñquam ibi proficit cura, vbi morbus est ipsa medicina. Consule epistolam totam Augustini 56. ad Diosco. de curiosis quæstionibus, & videbis quam lāguida sit anima sine fide Christi veritatem inquirens.

Circa quæstiones: Similis locus est Ecclesiast. 7. Deus fecit hominem rectum, & ipse se infinitis misericordiæ questionibus Scientia veritatis stabilit & solidat hominem. Ignorantia infidelium omnia dubia reddit, & in quæstiones veritatis: Ergo (ait Chrysostomus) quærere languere est (loquitur autem Chrysostomus de quæstionibus ex infidelitate orientibus) vt dum Iudai-zantes quærunt, quomodo dicitis vos Christiani, nos non iustificatos per legem Dei, cum dicat lex vt faciamus Dei mandata & vivamus? Rom. 10. Dum dicit Pelagius, quomodo transire potest peccatum Adæ in animam quæ nō est ex traduce? Dum Nestorius, dicit, quomodo Deus est natus ex muliere bimestrī & trimestrī? Et Arius, quis vñquam nouit patrem qui prior tempore non fuerit filio? Et similia. Vnde Chrysostomus in illud Ioan. 6. Quomodo potest hic Hom. 46

Y nobis

nobis carnem suam dare ad manducandum? Quando, inquit, subit quæstio, quomodo aliquid fiat, subit & incredulitas: Ita & Nicodemus perturbatus est, inquiens, quomodo potest homo in ventrem matris suæ iterato introire? Itidem & hi nunc, quomodo potest hic nobis dare carnem suam, etc. Et subdit hoc loco Chrysostomus, Quando anima cogitationum vincitur febre, quâdo ambiguitatis iactatur fluctu, tunc querit: cum verò illa sana est, nō querit, sed fideliter credit: nam ex quæstione & cōtentione verborum inueniri nihil potest: Quæ enim fides profitetur sola, succedens quæstio neque ostendit, neque permittit intelligi. Neque enim si quis clausis oculis querat quod inuenire alioqui posset, aut si apertis quidem illis humo seipsum obruat, sole inque auersatus in subterraneis speciebus & lacubus tenebris os inquirat, inuenire nihil planè poterit. Adeò sine fide nihil inueniri potest, eaq; absente pugnas necessario nasci contingit. Sic & Theophilactus: Agrotare igitur, inquit, est quæstiones proponere. Nam ubi non est fides, illic omnia languent & agrotant, neque quicquam aliud quam pugna verborum nascuntur, cum qui aptior est ad persuadendum, alterum subuertere videtur. Fides oculus est, qui non habet oculos, nihil inuenit, sed solūmodo querit. Similis est ergo locus iste de quæstionibus il-

bus illi in 2. epistola, semper discentes, & nunquam ad veritatis scientiam peruenientes. Et in illud: Stultas & sine disciplina quæstiones deuita, rectè annotat Chrysost. Sunt alia perutiles quæstiones de scripturis, de alijs necessarijs, à quibus ille nos minimè prohibet, sed ita ut in conquirendo cessent iurgia, lites, rixæ. Sic & Augustinus dicit in libro de natura & gratia cap. 20. alloquens Pelagium: Credere, inquit, ista fortasse sufficeret, sed tamen quia disputatione vis, nec obest nec prodest si firmissima præcedat fides. Non agit igitur hic Apostolus de utilibus, quales & Christus in Euangelio proposuit, nec de inutilibus fidelium quæstionibus, sed infidelium, qui non aquiescunt sanis sermonibus Iesu Christi: Neq; igitur de scholasticis doctoribus loquitur, tametsi quidam eorum alicubi plus satis sibi indulserint.

Et pugnas verborum. Haymo pugnas verborum & quæstiones vnum idemque esse dicit: Vnus morbus est inquisitio absq; fidei Christi: alter pugna verborum: de quibus & hic agit Apostolus, & in epistola ad Titum notat Iudaizantes, quorum studium erat cœciliare loca quædam veteris testamenti in speciem sibi contraria: ut quanto anno ætatis Salomon accepit vxorem, ne forte Roboain undecimo ætatis illius anno sit natus. Pugnas, inquit Apostolus, legis deuita: Vide Theophilact. in il-

Iud ad Titum, Pugnas legis, etc. Sic in primo capite notat Iudaizantes, quod relicto scopo & fine, legis intenderint fabulis & genealogijs. Nec absurdè intelligitur, quod non solum infideliter querunt de rebus fidei, sed & disputationibus eas oppugnant, sicut Act. 6. contra Stephanum, & 15. contra Paulum & Barnabam. Atq; ita intelligit Chrysost. cum ceteris Græcis, quāquam intelligetiam possit de quæstionibus, de quibus magna erat inter ipsos opinionum contrarietas. Chrysostomus, itaque Theophilactus, & Oecumenius interpretantur de pugnis, & dissensionibus, disputationū, & argumentationum: λόγος enim, non solum sermonem, verum etiam rationem significat. Quando enim sine fide disputatur, & quisque suam rationem consulit atque in iudicium adducit, statim tot oriuntur sententiae, quot sunt capita, & scinditur vna secta in varias, vt Simon Magus hæreticus unus fuit, sed in diversissimas sectas deflecti sunt eius discipuli: aliud Menander, aliud Carpocras, aliud Valentinus commentus est: Aliud adiunxit Manichæus, aliud item Marcion, licet in blasphemia creatoris & libidinis turpitudine conuenirent. Arius princeps negandæ consubstantialitatis discipulos etiam multum inter se pugnantes ac digladiantes fortius est, vt sunt Semidiriani, Macedoniani, Aëriani, & qui merè sunt Ariani.

riani. Sic & hodie vna Lutheri secta peperit nobis Confessionistas, Sacramentarios, Anabaptistas, qui & ipsi varie adhuc inter se dissentient, licet in speciali sua fide statuenda, Patru & ritibus Ecclesiæ euertendis cōcordes. Vnus in Eucharistia credit esse Christi corpus cum pane, nec tamen adorandum: Alter absentis tantum corporis signum: Alius Christi corpus esse ubiq;: Est qui infantes neget baptizandos: Alius non habere eos originale peccatum: Alius, quia filij sunt fidelium mundari sine baptismō reclamat. Nec istud sanè mirandum est: Infidelitas enim ac mentis cœcitas humanarum ratiocinationum est parens, falsitas autem contrarietatis ac dissensionis. Veritas vero quæ inter fidèles est, vna est & invariata, sibiique semper consentiens. Porro quemadmodum suprà quæstiones intelligebantur non quæ viles sunt, nec ea inutiles, quas inter se agitat fidèles: ita nec hoc loco verborum pugnæ ad eas pertinent disputationes, quas salua fide inter se Catholici exercent, etiam si altera pars sic erret, vti errabat Cyprianus, in columni videlicet fide, & citra pertinaciā. Aliud enim docendi explicandique causa decertare, aliud in rebus fidei atque per Ecclesiam aperte definitis dissidere seu rixari. Dissenserunt inter se Hieronymus & August. sed fide salua, quemadmodum Hieronymus ipse ad Augustinum

Y 3 scribens

Apud Au- scribēs testatur: ad August. Nos inter nos eru-
gust. epi- ditionis causa differimus: Ceterum & muli, &
tol. 10. maximē hæretici, si diuersas inter nos senten-
tias viderint, de animi calumniabuntur ran-
core descendere.

Ioan. 11. Ex quibus oriūtur inuidia: Dum enim quæstio-
nes ac argumenta eorū à catholicis negligun-
tur & contemnuntur, dum eorum sententia
cum risu exploditur, inuident successui euangeli,
inuident sanctis doctoribus, sicut ad Phi-
lippen. 1. Apostolus dicit, quosdā sibi inuidisse.
Et ad Tit. 3. se in inuidia & odio egisse: Cuius-
modi erant & Pharisæi, qui clamitabat totum

sum, atq; affictionem. Chrysostomus igitur primò intelligit immorations, otia, moras, ut sit sensus, quod ex questionibus & pugnis disputationum oriatur, quod homo male immo-
retur tota vita sua in mala & adulterina do-
ctrina, atque infidelitate, sicque maneat cor-
rupta & peruersa mente, carens veritate reli-
gionis. Pro superiuacaneo studio & diligentia
exponit Theophilactus, qui sensus unus est &
idem. Maximè autem placet tertius, qui sequit-
ur sensus: Ex his oritur transfusio morbi pra-
uorum dogmatum, qua peruersæ metis & ve-
ritate nudati homines in alios venenum suæ
doctrinæ transfundunt. Hunc sensum tres Græ-
ci amplectuntur admonentes sumptam meta-
phoram ab ouibus scabie infectis. Quemad-
modum ait Chrysost. scabiosæ oues si confri-
centur cæteris, etiam quæ sanæ sunt, morbo te-
neantur, ita & hi homines nequam, si simpli-
cioribus quibusq; inuenientur, veneno eos suæ
malignitatis inficiunt. Istud autem maximè
competit in Iudaizantes, de quibus Act. 15. le-
gitur, quomodo venenum suum alijs inspar-
erint: similiter in epist. ad Gala. quos circum-
uenerant. Idem legis 2. ad Corinth. 11. quomodo
transfigurent se veluti ministri iustitiae, ubi
de ijs agit qui se Israëlitæ esse semen Abra-
hæ, etc. iactitabant: Item epist. ad Rom. cap. 16.
quod per dulces sermones & benedictiones
sedu-

seducerent corda innocentium: Et ad Titum, Tit 1.
quod integras domus subuerterent, docentes
quæ non oportet turpis lucri gratia, sicut &
hic de eis dicitur, astimantium quæstum esse
piaret: & expressè dicitur quod sint de cir-
cuncisione. Sicut & ad Rom. 16. dicuntur suo
ventri seruire. Sic ad Philippenses vocat eos
inimicos crucis, habentes Deum pro ventre, Philip. 3.
canes, malos operarios, & expressè dicit eos
esse concisionem: Item 2. ad Timor. 3. dicit pe-
netrare domos, & seducere mulierculas. Om-
nibus verò hæreticis est istud commune: Ser-
pit enim ut cancer sermo eorum. Merito au-
tem vocantur mente peruersa atque corrup-
ta, qui quæstus gratia religionem suam docit,
qui sicut Iannes & Mambre resistunt veritati. Ibid. 3.
Homines corrupti mete sunt qui veritate pri-
uati sunt, quibus veritas adempta est. Sic est
Græcis. Legit Pelagius, à veritate priuati sunt,
& intelligit ab integritate euāgelij vel naturæ:
quod posterius adiicit ex sua sententia hæreti-
ca, homines nūc esse in naturæ integritate, nisi
suo eam peccato corruperint. Dicitur autem
rectè istis corrupta mente hominibus veritas
adempta, quia (sicut Apostolus dicit ad Rom.
11.) excæcati sunt, & dedit eis Deus spiritum
compunctionis. Et cap. 10. offenderunt in la-
pidem offensionis: Quod maximè quadrat in
Iudaizantes, quia lux vera Christus eiūsq; re-
demptio

demptio versa est eis in tenebras, cœsitque in scandalum, sicut Inuocentius primus epist. 91. dicit de Pelagianis. Sunt quidem isti omni cœtitate dignissimi, qui nec hoc sibi reliquerunt, vt se diuino auxilio ab erroribus reuocari posse credant: Negantes enim Dei adiutoriū, non non alijs, sed sibi hoc penitus abstulerunt.

Porro, et si verum sit illud Publianum, Ni-
mum altercado veritas amittitur, hæc tamen atrocia Apostoli dicta manifestè de hæreticis accipi debent: Nec cadunt in eos qui fidei ca-
tholicae adhærentes, etiam cum peccato & im-
peritiè triuola disputant. Vnde male Calvinus
certum esse dicit, Apostolum hic agere de So-
phistis. Ostendendum ei esset tales tempore
Apostoli fuisse. Et quid opus multis? Ipse Apo-
stolus dicit se loqui de his, qui aliter docēt, nec
acquiescunt sanæ & piæ doctrine, dicitque de-
uitandos tales: Absit ut doceat episcopum de-
uitare eos qui catholici sunt, & sola inani glo-
ria laborant: Quin Philippenses & Galathas
Galat. 5. admonet, ut contentiones & glorias deponat:
3. Cor. 11 Similiter & Corinthios iactantes doctores &
baptizatores suos. Sic & Chrysostomus, Am-
brosius, Theophilactus, & Oecumenius de in-
fidelibus interpretantur. Notum verò est Cal-
vinum niti in odium eos adducere qui fraudes
& dolos eius detegunt, eos (inquam) qui à do-
mino acceperunt, non solum ut credant, sed &
scien-

sciétiæ dono, inuicti sint fidei propugnatores,
de quibus Augustinus in epist. 56. Illi, inquit,
qui cum in unitate atq; communione catho-
lica non sint, Christiano tamen nomine glo-
riantur, coguntur aduersari credéribus, & au-
dient imperitos quasi ratione traducere, quādo
maximè cum ista medicina dominus venerit,
vt fidem populis imperaret. Sed hoc facere co-
gūtur, vt dixit, quia iacere se abieciissimè sen-
tiunt, si eorum authoritas cum autoritate ca-
tholica conferatur. Conantur ergo authori-
tatem stabilissimā fundatissimæ Ecclesiæ quasi
rationis nomine & pollicitatione superare.
Omnium enim hæreticorum quasi regularis
est illa temeritas. Sed ille fidei Imperator cle-
mentissimus, & per conuentus celeberrimos
populorum atque gentium, sedésq; ipsas Apo-
stolorū arce authoritatis muniuit Ecclesiam,
& per pauciores piè doctos, & verè spiritales
viros copiosissimis apparatus etiā inuictissi-
mæ rationis armavit. Verum illa rectissima
disciplina est, in arcem fidei quam maximè re-
cipi infirmos, ut pro eis iam tutissimè positis
fortissima ratione pugnetur. Et infra: Itaq; to-
rum culmen authoritatis, luménque rationis
in illo uno salutari nomine, atque in vna eius
Ecclesia recreando atque reformato huma-
no generi constitutum est.

Existimantium pietatem esse quaestum, hoc est,
rema

rem quaestuosam. Hoc & alias ad Titum i.de Iudaizantibus dicit, quod docenda religione lucrum turpiter aucuparentur, quorum sanè maior fuit animi corruptio, quam qui zelum Dei habent nō secundum scientiam: Sicut enim non confidebant in Deo quo ad bona animi, ita nec in his bonis terrenis. Hieronymus in 2.cap.Esa.in illud: Et repleta est terra eius argento & auro, & non est finis thesauro eius; vtraq; inquit, Gens, & Iudaorum, & Romanorum per hęc verba avaritę fugillatur, quod historiæ quoq; tam Græcae narrant quam Latinę, nihil Iudaorum & Romanorum gente esse avarius; vnde & repetidorum lex constituta est, & quotidie videmus illud Apostolicū Roma.2. impleri: Qui prædicas non furandum, furaris: furem iudicem arguit atque cōdemnat iudex furacior, & in alio de se promens sententiam. Sic hodie Iudæi usurarij sunt. Viderur mihi, imò publica lux testis est, iuxta Lutheranū aliorumque nostra tempestate hereticorum existimationem, pietatem esse securitatem in peccatis, ut quæ statim fide in propitiatorem aboleatur. Rursus à legibus & votis omnibus libertatem, imò verius licentiam, hoc est, libertatem faciendi quod placuerit. Et ut summam dicam, pietatis loco habent nunquam ieiunare, petulantiam carnis non coercere, vētri indulgere. Aestimat præterea pietatē quæstum esse

esse quod Ecclesiæ & monasteria spolient, auream, argenteāmq; supellecstilem sacrilege diripiunt, fundos ac possessiones eorum contra ius omne sibi vendicent. Multi sunt & Catholicī (vt ait Augustinus in epistola 89. ad Hilarium, putant sibi ad augēdas opes suas, & multiplicanda oblectamenta terrena, religionem suffragari debere Christianā. Huiusmodi animo complures ad monachatum vel sacerdotium aduolant, vt pietatem aestimat quæstum, otium, & vitę huius delitias. Græci codices hic adjiciunt, sciungere ab his, siue discede ab his. Et sic legunt Chrysostomus, Theophilactus, & Oecumenius. Annotat quoque Haymo subaudiendum esse in Latino textu, hos deuita. Pulchrè Oecumenius post Theophilactum: Non dixit, ait, implicare talibus, & è diuerso contendere, sed sciungere post vnam & alteram admonitionem: Quando enim persuadere poteris hominibus qui pecunię gratia pugnant? Quum igitur corrigi se non patiantrur, deuita illos. Et annotat hic Chrysostomus locū hunc similem esse illi, qui est ad Titum, hereticum Cap.3. hominem post vnam & alterā correptionem deuita. Et addit: Sieum cui summa erat pugnandi necessitas admonet, vt illorum cōgrefsum & consuetudinē viter, quanto magis nos, qui adhuc erudimur, qui in discipulorum ordine sumus? Notent hoc dictum Apostoli, qui permit-

permitunt sibi & colloquia hæreticorum, &
librorum ab eis conscriptorum lectiones.

Est autem quæstus magnus. Corrigit quod dixerat pietatem non esse quæstum; immo pietas, inquit, satis magnum per se lucrum est, ut potest præstans æterna bona. *Cum sufficientia:* Potest hoc referri ad affectum animi, ut sufficiens indicatur, qui eo quod habet contentus est, sicut Paulus dicit ad Philip. vlt. Ego didici, in quibus sum, sufficiens esse: Noui abundare, noui & penuriam pati. Sic Ambrosius magnam acquisitionem et diuitias esse dicit, si fidelis suo contentus sit. Et hoc sensu verit Erasmus, cum animo sua sorte contento. Huc pertinet illud: Diues est qui nihil optat. Et illud Poëta: Quis diues? qui nil cupiat, quis pauper? auerus. Potest nihilominus referri etiâ ad rerum necessariarum sufficientiam, ut sensus sit: Pietas quæ semper est coniuncta rerum necessariarum sufficientiæ, magnum est lucrum, etiam si diuitijs careat. Ita intelligit August. 121. epistola ad Probam cap. 6. Et Theophilactus dicit sufficientiam magnas esse stabiles opes. Potest et sic intelligi, pietas quæstuoſa admodum est per rerum sufficientiam, cum lucrum in hoc mundo faciat habitis solis necessariis.

Nihil enim intulimus. Ratione reddit, cur pietas sua semper tenuitate contenta sit, sibi que satis habere videatur; siue, cur sit lucrum cum adest

adest ipsi sufficientia, licet interim absit rerum copia. Nihil, inquit, diuitiarū in mundum cum nasceremur intulimus, sed nudi prodiuimus. Certum similiter est nos hinc emigrantes nihil ablatores: Alienæ proinde à nobis sunt diuitiæ, neque inter bona proprie nostra recentendæ, sed ratum ex ijs nobis sumedium, quantum ad presentem usum sat est. Necessaria vero sunt alimenta et tegumenta, cibus et potus, vestis et domus. His monet Apostolus, cōtentus sumus. At nos cōtra in victu, amictu, et habitationibus nostris, nil praeter delicias, luxum et ostentationem querimus. Quo sit ut nihil unquam nobis sufficiat, semper nouis lueris inhiemus, ac semper interim egeamus. Scriptura tamen sacra passim, ut Job 2. et Psal. 48. Ecclesiast. 5. et hoc loco alijsque compluribus ad memoriam nobis retinocat, ut externa haec nihil ad nos pertinere consideremus, cogiq; tandem ea omnia relinquere. Rursus non ex his iudicium nobis, vel ad æternam felicitatem, vel miseriam perpetuam, sed ex operibus nostris expectandum esse. Sanari itaque si volumus, resecanda omnis cupiditas, nec sequendum nobis vulgi iudicium. Nihil enim unquam ei sufficer, qui cupiditatē suam non refrenauerit. Vide Basiliū homil. 7. ad eos qui dicescendi studio tenentur. Hieronymum libro 2. contra Iouianum: Sapientiæ, inquit, operam

operam dare nos possumus, si mensa abundantiam cogitemus, quę labore nimio & cura indiget. Cito expletur naturę necessitas, frigus & fames simplici vestitu & cibo expelli potest. Vnde & Apostolus: Habentes, inquit, viatum & amictum his contenti simus. Delitiae & epularum varietates, fomenta avaritiae sunt. Grandis exultatio anima est cum paruo contentus fueris, mūdum habere sub pedibus, et omnem eius potentiam: epulas, libidines, propter quę diuitię comparantur vilibus mutare cibis, et crassiore tunica compensare. Tolle epularum et libidinis luxuriam, nemo queret diuitias, quarum usus, aut in vētre, aut sub vētre est. Vnde et Poëta: Seruiet aeternum, qui paruo nesciet vii. & Aristoteles in Ethicis omnem prodigum avarum esse dicit.

Nam qui volūt diuites fieri. Per occasionem de avaritia sacerdotum disputat Apostolus, ob quam male apud vulgum audiunt. Nihil, inquit Ambroſius, tam asperum, tamque perniciosum est, quam si ecclesiasticus maximè qui in sublimi loco est, diuitijs huius seculi studeat, quia non solum sibi ipſi, sed et cæteris obest: Contrariam enim formam dat hominibus: Necesse est enim multos imitatores eius existere ad perditionem: Quanto enim honorificentior ordine est, tanto magis suadet se imitandum, maximè in hac re quę in hac vita procli-

procluis est. Chrysostomus annotat non dictum esse, qui diuites sunt, sed qui diuites fieri volūt. Sunt enim, inquit, qui pecunias habentes eas ritę dispensent, ac aspernentur, eásque pauperibus diuidant: profectò nō eos qui sunt huiusmodi, sed cupidos notat. Annotat etiam Augustinus in Psal. 136, hic fieri mentionem eorum qui nondum sunt diuites: nam de ijs qui sunt diuites, infra dicetur.

Incidunt in tentationem. Potest intelligi, multa eis occurunt, quibus tētentur. Et ut ait Chrysostomus & Theophilactus, multis periculis inuoluuntur. Recte etiam intelligitur, superrantur à tentatione, vt in oratione Dominica induci in tentationem: quasi dicat, qui vult diuites fieri, singulos quoque veretur & timet ne quo pacto in re augēda ab eis impediatur. Quō fit ut dum homines offendere metuit, iniquè frequenter agat.

Et in laqueum diaboli. Græcis nō est illud diaboli, nec in textu Ambrosij legitur, nec apud Thomam. Verus tamē Ambros. sermone 14: versu 6, super Psal. 118. legit diaboli, tractans illud, Posuerūt peccatores laqueum mihi, Aperuit, ait, tibi Apostolus authorem omnium peccatorum & demonstravit dicens: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. Ad uertis laqueum diaboli esse diuitias, quem tetendit etiam Saluatori. Inter-

Z preta-

peratur verò Chrysostomus laqueum pro infidelitate, quæ in scripturis laqueus diaboli dicitur. Quam verò, inquit, térationé, aut quem laqueum dixit pati eos qui volunt fieri diuites? Ea res à fide eos aberrare facit, exponit periculis, minésq; audentes facit. Haymo interpretatur laqueum diaboli damnationem.

Et desideria multa. Thomas annotat perfectiōnem hominis quæ in vno posita est hædi, dum cor eius ad diuersa trahitur: ut Apostolus idē hic velit, quod in secunda epistola, quæ ducuntur varijs desiderijs, quanquam & desideria multa simpliciter intelligi possunt. *Inutilia,* Græcè est stulta. Explicás hæc Chrysostomus, An non, inquit, stulti qui fatuos, qui nanos habent nou clementiæ, sed oblectationis gratia, qui pisces includunt atrijs, qui feras nutriunt, qui canibus student, qui equos ornant phaleris, horūmq; non secus, ac paruuli, affectu rapiuntur? Hæc omnia inutilia sunt ac superflua: nihil in his necessarium nihil vtile. *Noxia* verò sic interpretatur, Quā verò noxia hæc sunt, quando amoribus insanis student, proximorum substantiam appetunt, insistunt delitijs, ebrietati deseruunt, aliorūmq; cædem ac perniciem moliuntur. Sic & Theophilactus. Sed hæc omnia diuitum videtur porius esse quam eorum qui cupiunt ditescere: nisi sic dicas, eos qui diuites fieri volunt hæc omnia per diuitias quas

quas cōcupiscunt velle implere. Ad stulta hæc & noxia desideria pertinent variæ, quas auari excogitant praxes, in quibus sàpè frustrantur noxia desideria: quibus etiam apertè iniquè agunt, & sàpè sibi etiā in corporalibus & temporalibus rebus multum obſistunt, imò magna interdum cum vitæ discriminē pericula adeunt.

Quæ mergunt homines, more aquarum multatum, adeò ut emergere tandem & respiscere nequeant. In interitū & perditionem huius temporis & futuri. In primis, quia restituenda non restituunt, aur difficultimè sanè rarissimè que. Et ut de ecclesiasticis, de quibus agitur, exemplum demus, quis quæſo qui fructus tantum beneficij, non officium spectare consuevit, eo vñquam proficiat, ut rectè ac laudabiliter munus suum exequatur? quis eorū qui viliſtantum lucelli gratia Ecclesiæ curā suscepit non lanam potius & lac, quam animalium salutem spectet? quis compluribus beneficijs onustus cæteris omissis vnicō contentus viuat? quis beneficium per simoniam consecutus, lubens id à se abdicet? quis sacerdos aut pastor factus vestiū curiositatī, domus & supellectilis splendori, mensæ & fercularum luxui renunciet, si horum gratia diuicias fecutus est? Et quamuis interim hæc ita se habeant, nulli nō excusatio multarum opum suppetit; adeò ut in profundissimo

dissimo potius luto suffocari, quam respirare & se se erigere malint. Hinc est quod præmaturè multi in medijs litibus & beneficiorū venacionibus pereant, ac frequenter post substan-tiæ & quietis suæ iacturam, talentique à domino Deo in alios vsus donati abusum, ipsi sibi interitus sui causa existant, ut nec vñquam improborum votorum compotes fiant.

Radix enim omnium malorum est cupiditas, id est, studium pecunia. Græcis est φιλαγγυρία, id est, argenti amor: Dicitur autem malorum omnium radix, quod omnis generis mala ori-ri hinc soleant: Auaritia, ait Ambrosius, quia omnia mala potest admirtere, ideo radix omnium malorum est: quia vt desideria sua ex-pleat (quod tamen impossibile est) & maleficia, & homicidia, & obsecnitatē, & quicquid sceleris est perpetrat. Vnde & Theophilactus: Neque enim, inquit, viuentibus parcit, neque mortuis, sed hos quoque deprendatur in paren tes & fratres insurgit, ac quæ Dei sunt spoliat.

Ecclesiastico. Recte proinde Ecclesiasticus, Auaro nihil est scelestius: hic enim & animam suam venalem habet. Auaritia (inquit Ambros. libro de Cain & Abel capite 5.) quo plura abstulerit, eo magis in opem se esse credit, omnibus inuidia, sibi vilis, in summis diuitijs inops, affectu extenuat quod censu abudat: Nullus rapiendi modus ubi nulla mensura cupiendi, elemēta con-cutit,

cutit, mare sulcat, terram effodit, cœlum votis fatigat, nec sereno grata nec nubilo, condemnat prouentus annuos, scutisque terrarum ar-guit. Vide & librum Ambrosij de Naboth Israëlitera.

Quam quidam appetentes: quam, videtur re-ferre cupiditatem, sed rectius cohæret, si refe-rat pecuniam, quæ in philargyria includitur.

Erit auerunt à fide: Pulchrè, ait Chrysostomus, Er-rauerunt à fide, non enim finit cupiditas iter rectum aspicere oculos in se attrahens, & sensum abducens. Auaritia siquidem dum vitijs multis hominem inuoluit, & sola præsentia querit, facit eum iudicare friuola, quæ sunt religionis, & futuri seculi. Pugnat omnino lex diuina cum desiderijs auari, & idcirco dum altero ei carendum est, fidei potius quam pecu-niæ iacturam facere mauult. Vnde & Christus Matth. 13, diuitias & earum concupiscentiam spinas vo-cat, quæ verbum Dei suffocant. Quam multi enim, proh dolor, pecunia perdenda & lucri amittendi metu ad hæresim se conuerrunt.

Doloribus multis: Chrysostomus intelligit de doloribus sollicitudinum, & variarum anxi-e-tatum ac miseriartim in quas incidunt queren-tes diuitias, vel quæstas improbè amantes. Ita meritò Marcus fallaciā diuitiarū cum ærums Marc. 4, nis seculi enumerat, cuius loco Matthæus & Luc. 8. Lucas sollicitudinem seculi habent: quæ etiam Match. 13

locum citat Chrysost. & Pelagius. Alij malunt hoc dolores pro peccatis accipere & malis (vt vocant) culpæ, quemadmodū et alias frequenter in scriptura phrasī Hebraica, quæ hac voce nunc iniuitatem significat, nunc laborem: vt in Psal. 9. sub lingua eius labor et dolor. Et Psal. 7. Ecce parturit iniustitiam, concepit dolori, et peperit iniuitatem. Et Esa. 10. Hebraica vox, Amal, quæ alijs labor, ibi vertitur iniustitia; scribentes, inquit, iniustitiam scripserunt. Et Psal. 55. Labor in medio eius et iniustitia. Et Psal. 139. Labor labiorū ipsorum operier eos. Videbñ, num mala culpa hic intelligi queat, quæ sunt dolorū causæ. Hæc autē sententia Apostoli. *Quā quidē appetētes, &c.* aut ex communī experientia ab eo dicta est, cū videlicet vidiſſer ex amore diuiniā quosdā à fide decide-re, et in peccata multa ruere: aut præter experientiā, ad exēpla quoq; veteris scripture respe-xit, vt Balaā, qui amore pecunia fidē reiecit, et in varia tum demū scelera incidit, docens ni-mirum Balach quomodo filios Israël ad ido-lolatriam induceret: Quod exemplum Petrus et Iudas recitant. Item ad exempla noui testa-menti Iudæ proditoris, et Simonis Magi. Ex-pendenda sunt hæc diligenter omnibus Chri-stianis, ijs præsertim qui ad ecclesiasticum or-dinem transire cupiunt, vt à iuuentute pietatem potius quam pecuniam sectari discant, & huius

Num. 24

2. Petr. 2.
Mater. 16.
Act. 8.

huius potius, quā illius iacturam facere. Sunt hæc quidem quæ Apostolus dixit omnibus ex æquo communia, in sacerdote tamen qui cæ-teris dux esse debet, turpior est longè avaritia, et magis quoq; noxia, vt antè à nobis admonitum est. Circa illud: Radix omniū malorum est cupiditas, queritur quomodo ex avaritia nascatur superbia, cum ex hac potius illa oriatur: quia enim inordinatè excellere appeti-mus, hinc avaritiā sectamur; ea videlicet con-gerentes, quibus huc euehamur. Hunc modum dupliciter soluit Thomas 1.2.12.1. quæst. 84.1. quod omne genus peccatorum foris perpetra-tur per avaritiam, & ipsa etiam ambitio ac su-perbia per pecuniam. Secundo, quia regulariter et plurima peccata ortum suum habet ex aua-ritia locutione cōsueta, qua vtuntur seculares scriptores. Omnia regulariter, et ferè scilicet oriuntur ex superbia, sicut et ante omnia ex ambitione generantur, aut dominandi libidi-ne. Caietanus videtur intelligere, omniū ma-lorum tam pœnæ scilicet quā culpæ, omnium scilicet istorum, de quibus egimus supra, népe lapsus et ruinæ in tentationem, laqueum, desideria stulta, noxia, interitus et perditionis. Alij dicunt Apostolum hyperbolice locutum.

Augustinus non ignarus in Græco haberi φτ-λαργυγίαν, dicit nomen speciei poni pro gene-re, pro cupiditate, nempe habendi plus quam

Z 4. sat est,

Sat est, non solum in externis diuitijs, sed in re
qualibet, libro de Genesi ad lit. 11. cap. 15. Item
in illud Psal. 118. Et non in auaritiam. Et lib. 3.
de libero arbit. cap. 17. Quibus locis diligenter
admonet Gr̄ecē hoc loco haberī φιλαργυρίαν,
hāc autem synechdochē multis de causis star-
tuisse videtur. Prīmō, quia vidit Apostolum
hic disputare de sufficientia, & quibus contēti
esse debemus. Itē quia sic verba Apostoli pla-
na sunt & aperta, quia pleonexia siue cupiditas
plus quam sat est habendi est radix, vnde
omnia reliqua mala pullulant, prēcipue in spe-
cie superbia. Item quia alibi radicē bonorum
facit Apostolus charitatem. Iti charitate, in-
quit, radicati: Quem locum tractans August.
serm. 1. in Psal. 9. Quæ est, inquit, radix? Charit-

Ephes. 5. tas: Hoc enim dicit Apostolus, vt in charitate
radicati & fundati. Quomodo enim radix om-
nium malorum est cupiditas, sic & radix om-
nium bonorum est charitas. Et lib. 1. de gratia
Christi cap. 18. & 19. duas radices dicit esse, cu-
piditatem, malorum:charitatem, bonorum: si-
Matth. 7. cut in Euangelio distinguitur arbor bona &
mala. Videndum an vspiam sic accipiatur no-
men auaritiæ apud Apostolū, vel in alijs quoq;
scripturis, aut apud scriptores prophanos.
Simplex sensus esse videtur, Omne genus ma-
li committi & perpetrari ex auaritia.

O homo Dei. Gr̄eci & Hieronymus in 18. cap.
Eze.

Ezechielis dicunt eos peculiariter vocari ho-
mines Dei, qui iusti sunt, qui non modo condi-
tionis, verum familiaritatis iure Deo cōiuncti
sunt. Alioqui omnes animæ sunt Dēitāquam
ab ipso cōditæ. Intelligo verò Chrysostomum
de insigniter iustis, & valde atque eximiè Deo
familiaribus. In veteri enim scriptura nō quē-
uis iustū videtur designare vir vel homo Dei,
sed eum duntaxat cui Deus coram loqueba-
tur, & sua reuelabat, 1. Reg. 2. Venit vir Dei ad
Heli, & capite nono: Ecce vir Dei est in ciui-
tate hac, vir nobilis, omne quod loquitur sine
ambiguitate verum est. Et 3. Reg. 13. Tunc es
vir Dei qui venisti de Iuda? Et: Vir Dei est qui
inobediens fuit ori domini. Sic Helias & Heli-
sæus viri Dei vocantur. Et David 2. Paralip. 8.
vocatur homo Dei, & dicitur præcepisse quo
ordine Leuitæ & Ianitores ministrarent. Ex
his videri queat homo Dei esse idem, quod
Propheta. Et dū dicit Elias. Si homo Dei sum, 4. Reg. 1.
descendat ignis de cœlo, videtur significare
magnam familiaritatem & fiduciam. August.
in Ioan. Cyprianum & similes vocat homines
Dei, per quandam excellentiam, cum omnes
iusti sint populus Dei. Quidā intelligit, homo
Dei, qui populo præs, in his quæ ad Deum
spectant, qui episcopum agis: quia homo Dei
es, non potes simul esse seruus mammonæ.

Hac fuge: Hæc fuge non secus atque auarus
pauper-

paupertatem illa prosequere, sicut avarus pecuniam. Rapit hominem voluptas, rapiunt diuitiae, nisi fugiat, eò quod homo ad hęc proprio naturae suae vitio & affectu corrupto inclinetur. Fuga hęc sit affectu & mentis alienatione, nō grexisibus. Scriptis de fuga seculi pulchrum librum Ambrosius, cuius initium citat August. lib. 4. contra duas epist. Pelagianorum cap. 11. ex quo pater quomodo ista fuga intelligatur, & lib. 2. contra Julianum cap. 8.

Sectare verò iustitiam. Magna est in his verbis vehementia: Fugimus ea à quibus nobis metuentes festinatè recedimus. Sectamur, quæ magno conatu & assiduo studio cupimus apprehendere. Is ergo iustitiam sectatur, qui in studio pietatis quotidie semetipsum superare contendit, nouum semper sumens spiritum, tanquam iā primū se à peccatis cōuertat, qui hoc secum semper agit, vt magis magisq; Deo placeat. Sic Chrysost: Vtriuq; inquit, cū magna intentione posuit: Non ait accede & discede, sed fuge & persequere. *Iustitia: ne immodica cupiditate alicui iniuriā facias.* Opus est hac admonitione etiā magnis viris: facile enim sit, vt consuetudine avarorum inducti, etiā ipsi iniquos eorum astus & dolum malum in aliquo imitentur, quod experientia nimis cōpertum est. Per consuetudines etiam improbas facile sibi imponi patiuntur, vt & ipsi improbè agant,

nisi

nisi vigili oculo intendant, & magno vbiique animo iustitiam spectent. Intelligo igitur de iustitia (vt appellant) committitua. *Pietatem,* id est, verum Dei cultum & recta dogmata. *Eidem,* quæ in futura præcipue respicit. *Charitatem,* erga proximū, vt diuitias in eleemosynas dispenses. *Patientiam,* in paupertate, vieti, & amictu. *Mansuetudinem,* tranquillitatem animi, dum eriam tua iniquè tibi eripiuntur: Quam animi pacem auari non habent. Sub his virtutum speciebus & reliquas intelligit.

Certa bonum certamen fidei. Certamen fidei est oppugnare mundum, & omnia scelerum ac voluptatum mōstra, atque ita firmum in fide, incōcussum in pietate perseverare, iuxta illud Ioan. Hęc est victoria quę vincit mundum fides nostra. Cerra itaque bonum certamen fidei, viriliter age & fortiter non te aduersa moueant, non afflictiones deprimant, fortiter ea tolera. Meritò autem istud vocatur certamen, quia multi & validi sunt hostes, etiam in nobis. Vide cap. 23. 22. de ciuit. Dei apud August. Meritò quoque certamen hoc bonum vocatur, quia & ad summum bonū prosequēdum, malum verò declinādum ducit ac promouet: Malum autem oppugnare etiā per se bonum est. Vt enim ait August. lib. 21. de ciuitate Dei cap. 15. Melius confligitur cum vicijs, quam sine villa confictione dominantur: Melius est, inquam,

inquam, bellum cum spe pacis æternæ, quam sine villa liberationis cogitatione captiuitas. Cupimus quidem hoc etiā bello carere, & ad capessendam ordinatissimam pacem, ubi firmissima stabilitate potioribus inferiora subdatur, igne diuino accendimur. Sed si, quod absit, alibi tanti boni spes nulla esset, malle debuius in huius conflectationis molestijs remanere, quam vitijs in nos dominationē eis non resistēdo permettere. Vocatur certamen fidei, quia fide in Christum ad hoc accendimur, fide pugnamus, fide vincimus, dum scilicet fides impetrat, quod lex imperat: dum fides per charitatem operans, impetrat largitatem spiritus, qua iugum Christi fit suave & onus eius leue. Alij quia pro defensione fidei sit, putat vocari certamen fidei. Sic Lombardus.

Apprehende, viriliter certando tanquam palam victoriarum vitam eternam, quam cum vitijs concertando cōsequimur: Apprehedere itaq; est consequi. In quam, siue ad quam vocatus es. Deus, ait, te vocat ad vitam æternam, non igitur retrocedendum est, non oscitanter agendum. Vocat nos Deus ad vitam, dum mere gratis nos surdos & vocem eius audire nolentes ipse & prædicatione sua præuenit, & aures audiendi & cor obediens præstat, vt sic mandata eius seruantes, æternam vitam contenda mus. Vocatio gratiæ nomen est, sumpta metaphora

phora ab ijs, qui vltro nihil tale expectates ab alio ad aliquid vocantur. Ad externam tamen prædicationem aliquando tantum pertinet.

Et confessus, id est, ob vitam æternam consequendam confessus es bonam confessionem. Hoc Chrysostomus & Theophilactus interpretantur dupliciter: Primo, quod in periculo vita coram multis confessus sit doctrinā Christianam: Secundo, de prima institutione ac fide quæ fit in baptismo, qua profitemur nos abrenniciare Sathan & pōpis eius, ascribi autem Christi & eius sacramento inaugurari. Ita & Ambrosius, & Oecumenius, & Haymo, & hereticus Pelagius, Caluinus interpretatur; Sapè confessus es rectam doctrinam coram multis testibus, dum verbo & facto tuo pietatis specimen dedisti. Sic & Magister, & Thomas, qui etiam quartam habent expositionem: Professus es in consecratione cum fieres episcopus bonam confessionem, ne rēpe te euangelizaturum. Sed expositor secunda magis placet, & pro eo facit, quod dicit, in vitam eternam vocatus es, quod tum propriè fit, quando Christiani efficiimur. Et tu, inquit, vocanti nō defuisti, sed confessus es bonam cōfessionem coram multis testibus. Turpe igitur foret tergum dare & eum deserere cui tam solēniter fidem dedisti. Multi testes erant sacerdotes, ministri, reliqui Christiani & sancti angeli. De hoc autem

ritu

ritu coram multis confitendi dicit August. libro 8. Confess. cap. 2. loquens de Victorino ad fidem conuerso: Ut ventus est, inquit, ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis, retentisque memoriter de loco eminentiore in conspectu populi fidelis, Romæ reddi solet ab eis qui accessuri sunt ad gratiam tuam, oblatum esse dicebat Victorino à presbyteris, ut secretius redderet, sicut nonnullis qui verecundia trepidatur videbantur, offerri mos erat, illum autem maluisse salutem suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri. De hoc similiter ritu legi potest apud Dionys. Areopag. cap. 2. parte 2. & cap. 7. part. 3. Et conformis est hic ritus baptismi publicus legi naturæ. Iustus est enim. & æquum, ut qui haec tenus publicè aduersatus est Deo, etiam publicè se illi subiiciat, & ad eum redeat. Quemadmodum & in veteri quoque lege quandocunque propter idolatriam populis à Deo defecerat, vel propter similia: publicè iterum foedus cum Deo feriebat, publicè spondebat se Deo deinceps adhæsum, 4. Regum 23. de Iosia: 4. Reg. 11. de Iosada: & Nehemia 9. & 10. vbi similiter promitterebant vobabantque, ut nunc in baptismio: Vide August. in illud Psal: Vouete & reddite: Et Hierony. in lib. 1. apolog. aduersus Ruffinum: & Ambros. in illud Luc. 20. cuius habet imaginem & inscriptionem: Et Gregor. in homil. ascensionis

Domi-

Psal. 75.

Dominicæ: Dionysium Areopagitam loco supra citato: Thomam quoque varijs locis. Istud propterea admoneo, ut meminerimus in baptismo votum fieri eorum rerum quæ ad salutem sunt necessariae. Fit autem hoc votum verbo ab renunciationis, sicut Dionysius dicit monachos vovere eadem locutione renunciando diuisibili vita, cap. 6. ecclesiast. hierar. parte 2. Cum ergo & Apostolus hic urget, Memeto, inquit, quod Deus te vocauerit, memeto quod illi voveris, & publicè præterea voveris, nullo profecto retrogrediendum est. Multo maiori sane probatione & solennitate admittebatur olim ad Christianismum, maximè ex gentilitate prodientes, quam nunc ad monachatum. Facit pro hac expositione, quod ὁμολογέω significet spondeo, pacisco, profiteor: unde recte verrunt, qui legunt, professus es bonam professionem. His omnibus necdum contentus Apostolus, horrendam adhuc adiurationem adjicit: Præcipio tibi coram Deo. Hanc tamen putat Ambrosius non propter Timotheum, sed successores eius ab Apostolo additam. Chrysostomus cum aliis duabus Græcis adiectam cœser, ut metum Timotheo augeat, quo testem semper Deum præ oculis habens, animo commoueatur confirmeturque. Deum, patrem intelligit, vel etiam absolute sine personæ distinctione, ut Christum postea secundum

dum humanam naturam recenseat. *Vniuersitat omnia*, hoc est, omnes homines resuscitat. Cōmonefacit enim eum resurrectionis, quā fiet diuina virtute, ut alacrior sit ad certamen & pericula huius vitæ subeunda. Adducit enim hoc tanquam pugnæ solarium. Et Christo Iesu. Hunc inducit tanquam exemplar, quem imitetur. Christus ipse tulit testimonium moriendo, ergo & nos ita testari debemus. *Bonam confessionem*, Chrysostomus cum suis, refert ad confessionem quod esset rex Iudæorum, natus ut testimonium perhiberet veritati. Atque hæc ita eum voce confessum, ut idem etiam mortis & suppliciorum tolerantia testatus sit. Sic & Pelagius, Haymo, Thomas, atque Caetanus. Theodoreti commētarius bonam confessionem dicit esse salutem hominum, quia pro ea Christus passus est. Clemens Alexandrinus, recitante Oecumenio, Testatus est, ait, Christus per ea quæ fecit, quod ipse esset Christus filius Dei. Sed ex his omnibus non intelligemus, qualis sit similitudo inter professionem Timothei in baptismo, & confessionem Christi. Item quorsum hęc Paulus adducat. Quidam sic putat congruere textui, Testatus est & confessus quod ipse solus sit salvator hominum, id quod nos in baptismo confitemur. Saluo interim melius sénientium iudicio, videtur hic esse huius loci sensus: Christus in pas-

Ioan.18.

in passione sua rebus ac factis ipsis declarauit, verāmq; fuisse testatus est professionem suam bonam, quā antea verbis erat cōfessus. Dixerat anteā sāpē oportere se esse in his quę patris sui sunt, se ab illo missum ad saluandum quod Luc.2. perierat, se descendisse de cœlo non ut propriā Ibid.19. exequeretur, sed Dei super salutē hominū voluntatem, se venisse ut quæreret gloriam patris, & daret animā suam pro ouibus suis: hanic Joan.6. professionem humano generi admodum salutarem in passione sua veracē rebus ipsis ostendit, prēstigitque. Quemadmodum igitur natus ad hoc dicitur, ut veracem Dei promissionem completeret, atq; ita Deum veracem esse testatur: sic suam professionem quam verbo ante expresserat, opere est testatus, & testimonio stabiliuit. Ut autem rectius istud intelligatur, notandum quod veteri Ecclesiæ vīsu nōmen testimonij siue martyrij pertineat ad testimoniū quæ sit opere, eoque maximo, nempē voluntaria morte: Confessio vero, ad testimoniū quod verbis perficitur. Christus igitur id quod erat ante professus verbis, hoc opere cōtestatus est: Sic tu Timothee hoc cogita, ut id quod verbis in baptismo professus es, operè exequens ipso facto testeris, immo si necesse sit, etiam ipsa morte.

Sub Pontio Pilato. Hoc iudice Christus martyrium subiit, & hic proinde etiam commē-

A a mōra-

moratur, ut tēpus passionis significetur: quod antiquitus per reges, sacerdotes, pr̄sides describi solet: ut liquet ex Luc. 2. & 4. cap. libris Regum & Machabæorum.

Vt serues mandatum. Illud népe, certa bonum certamen fidei, siue potius totum quod de oficio tuo tibi iniunxi. Sunt qui nomine mandati mādata pluraliter intelligunt. Fortè Apostolus nominē mandati per antonomasiām intellexit mandatū dilectionis, sicut ad Rom. 13. dicit: Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Et: Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Christus etiam dicit, Hoc est pr̄ceptum meum: vt diligatis inuicem.

Galat 5.
Ioan 15

Sine macula irreprehensibile. Gracē potest referri ad Timotheum: sic Chrysost. & Theophilact. Neque vita, neque dogmatum gratia aliquid maculæ contrahas, vnde reprehendaris merito. Pelagius & Oecumenius referunt ad mandatum: Maculat quodammodo & reprehendi facit mādata qui peccat. Et hoc placet, iuxta illud Iaco. 4: Qui detrahit fratri, detrahit legi. Ita maculat & reprehendi facit legem, qui eam non seruat: Maximē autem si sit episcopus, per cuius malam vitā, vel dogmata, sicut nomen Dei, ita etiam mandatum eius blasphematur, & vituperatur ministerium docentium & episcoporum. Sed cōtra primam expo-

expositionem obijcitur, quod nemo hic viuat sine peccato, ergo Timotheus non erat omnino immaculatus, maximē cū vox Græca quæ hoc loco legitur, à Paulo non tribuatur hominibus, nisi in die iudicij: Ad Ephes. 5. non habentem maculam: Ad Colossens. 1. sic quidam construunt, Mandatum immaculatū irreprehensibilis. Posset nihilominus immaculatus dici à grādi macula: sic habet cōmentarius Theodoreto inscriptus, sine macula irreprehensibile usque ad apparitionem, pro eo quod est, ad illud respiciens, & illud expectans nihil diuinæ doctrinæ alienū admiscueris. Ad illud mandatum respiciens, custodi sine macula & irreprehensibilem doctrinam. Pro huius loci intellectu, saluo saniori iudicio, notandus est ritus & ordo baptismi. Primum docēdus est cathecumenus, deinde baptizadus, & post fidem ac baptismū præcipienda sunt ea quæ obseruanda sunt (tunc enim recte præcipit Ecclesia, cum homo se ei tradiderit, & per baptismū ei incorporatus fuerit) sicut ex verbis Domini recte in ultimum caput Matthæi dicit Hieronymus, ita ut quodammodo baptizato dicatur: Ecce iam sanus factus es, noli amplius pecare. Hoc pr̄ceptum nō solum verbis, sed & cæmonijs baptizato proponitur, dum post signatum chrismate verticem induitur ueste candida, & datur ei ardens cereus, diciturq; ei,

A A 2 Accipe

IN I. AD TIMOTHEVM

Accipe vestem candidam, sanctam, & immaculatam, quam proferas sine macula ante tribunal domini nostri Iesu Christi, vt habeas vitam æternam, & viuas in secula seculorum, Amen. Hieronymus in epistola ad Darnasum: Accipe lampadem ardenter, irreprehensibile, custodi baptismum tuum, serua Dei mandata, vt cum dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei via cum omnibus sanctis in aula cœlesti, habeasque vitam æternam, & viuas in secula seculorum, Amen. Vtroque & candida veste & lucente candela designatur mūda & exemplaris vitæ cōuersatio. Vestis candida qua in duebatur baptizatus, meminit Dionys. Areopagita libro de hierarchia ecclesiastica cap. 2. Et Ambrosius libro de ijs qui mysterijs initiantur cap. 7. loqués ad iam baptizatum: Accipisti post hæc vestimenta candida, vt esset indicium, quod exueris inuolucrum peccatorum, indueris innocentiae casta velamina. Pontius Paulinus quoque in carmine:

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos,

Infantes niueos corpore, corde, habitu.

Et Lactantius in carmine Paschali.

Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,

Atque vetus vitium, purgat in amne novo:

Fulgenteis animas vestis quoq; candida signat,

Et grege de niueo gaudia pastor habet.

Hinc & sabbatum primum à festo Paschæ
sabba-

sabbatum in albis vocatur, quia tunc cädidam vestem neophyti deponebant. Et Rabanus libro primo de institutis clericorum capite 29. Post baptismum, inquit, traditur Christiano vestis candida, designans innocentiam & puritatem Christianam, quam post ablutas veteres maculas studio sanctæ conuersationis immaculatam seruare debet ad præsentandum ante tribunal Christi. Ad hanc fortè cæremoniā allusit in epistola sua Iudas dicēs: Odientes eam quæ carnalis est maculatam tunicam. His præmissis videtur Apostolus vocare præceptum immaculatum & irreprehensibile, quia præcipit homini agere, vt in die iudicij immaculatus & irreprehensibilis appareat, quemadmodum præceptum temperatum & fortè vocari potest, quia temperatiā ac fortitudinem præcipit. Notum est quod leges à rebus præscriptis nomina sumant, vt lex repetūdarum, lex sobrietatis, lex sumptuum. Cum itaque Apostolus Timotheum avaritiam, & cætera inde fruticantia virtutia iuberet fugere; omnem verò sectari virtutem, vt vitam æternam, ad quam à Deo vocatus est, & ad quam se ab omni contentionē liberum spopondit in baptismo consequi queat: constringit eum terribili testimonio & Dei resuscitatoris mortuorum, & Christi, qui suum votum ac professiōnem sub Pilato opere compleuit; vt id præceptum

A a 3 ceptum

ceptum quod baptizato traditum est de exhibendo se immaculatum & irreprehensibilem, Christo diligenter custodiat usque ad ipsius Christi aduentum. Nec mirum Apostolum in hac re pro Timotheo sollicitum esse, cum idem etiam de seipso alibi faciat; Ut inueniar,
Philip. 3. inquit, in illo die non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed iustitiam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia ad cognoscendum illum, etc. si quo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis, etc. si quo modo compræhēdam in quo & compræhēsus sum à Christo Iesu. Et pro Corinthiis petit, ut confirmet eos Deus sine crimine: quos
1. Cor. II. & ait despōndisse se vni viro virginem castam exhibere Christo, etc. Ad Philippenses 1. ut si tis sinceri & sine offensa in diem Christi. Sic ad Colossenses 1. Nisi rara itaq; virtus esset & difficilis nō tot inculcationibus & obtestationibus vteretur Apostolus.

In aduentum: Græcè est apparitionem. Frequentissimus est Apostolus sicut & tota scriptura in inculcando secundo Christi aduentum quia is est præcipua sanctorū spes & consolatio, qua omni tempore indigent ob miras Sathanæ, carnis & mundi technas, tribulationes, insultationes, ac similia. In hoc enim modo requiem non esse scientes ex Christi apparitione toti pendent: tum quia huius diligens medita-

meditatio contra concupiscentiam est summè necessaria, iuxta illud: Cōfige timore tuo carnes meas: tum quia præcipua est euangelicæ doctrinæ pars: Appropinquauit regnum cœlorum. Et sicut in veteri lege omnia designabant & prænunciabant incarnationem Christi, ita totum quod nunc agitur à pijs in ecclesia huc tendit, ut compleatur secunda petitio orationis dominie, Adueniat regnum tuum. Matth. 6 Posset imperito lectori videri tanquam Paulus Apostolus tali locutione significare vellet Christum fuisse véturum viuente Timotheo, sed hoc in secunda epistola ad Thessalonices fatis refutatur. Quo igitur sensu dicitur Timotheo, serua mādatum usque ad Christi aduentum? Quia ei præcipitur ut seruet usque ad exitum ex hac vita. Sic Chrysostomus cum suis: hoc est, inquit, usque ad cōsummatiōnem tuam, usque ad exitum. At non ita dixit, sed usque ad aduentum, ait, ut illum magis exfuscat. Augustinus clarè explicat epistola 80. ad Esichium, quomodo intelliguntur tales scripturaræ locutiones. Tunc vnicuique, inquit, veniet dies ille, cum venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis iudicandus est illo die, ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum eum inueniat domini aduentus: Imparatum autem inueniet ille dies, quē imparatum inuenierit suæ huius vitæ ultimus dies.

A a 4. Et for-

Et fortè scriptura tali sermonis formula libenter vtitur, quia melius capiūt homines totius hominis, quam solius animæ iudicium, ac vt fides resurrectionis inculcetur, & sit quisq; in hac vita solicitus, quia ex ea in extremo iudicio omnes iudicabūtur. *Quem, Græcè quam,* scilicet apparitionem. *Suis temporibus,* à Deo decretis & definitis, ipsi soli notis. Hoc addit(ut annotant Græci) ne contristetur quod nōdum adsit domini aduentus. Præcipites sumus omnes ac curiosi, & diem ferè horāmq; Deo præfigere volumus more sacerdotū illorum Be-
Iudith 7. thuliensium, de quibus in libro Iudith: & mæ-
sc. 8. rore conficimur, si tempore quod nos imagi-
namur, non eueniat id quod petimus. At si co-
gitemus Deo soli notum esse tempus, & omnia congruo, oportunoque tempore ab ipso
fieri, hanc anxietatem & dolorem facile de-
ponemus. Ostendet, id est, reuelabit vel exhibe-
bit.

Beatus: Græcis additur articulus, ille beatus.
Rectè beatus, qui tanta beatitudine plenus est,
vt eam super electos etiam copiosè sit effusu-
rus. Vide suprà ad illud capitulū primi, gloriæ
beati Dei. *Et solus potens:* Græcè est substatiuum
δύνατος, quod sarapam vel principem signifi-
cat. Et deriuatur ethimologia Græci substan-
tiui à potentia, quæ δύναμις dicitur. Hoc, in-
quit Chrysostomus, rursus ad solatium disci-
puli

puli dicit, vt ne metuat, néve admiretur mor-
tales reges. Tunc reges oppugnatores fidei
videbātur beati, & magni principes magnæq;
potentiaz: Contra dicit Apostolus, Illi nec verè
beati, nec principes sunt, sed solus Deus. Verū
nōnne Apostolus alibi dicit omnem potesta- Rom. 13:
tē esse à Deo, & principes esse Dei ministros?
Ambroſij commentarius hunc scrupulum re-
mouet: Solus est ipse qui propriam, & à nullo
habet acceptam beatitudinem atque poten-
tiam, dominatum & regnum, necnon immor-
talitatem. Alij intelligunt, solus perfectè prin-
ceps & potens est, solus rex regum & domi-
nus dominantium.

Qui solus habet immortalitatem: Ad differentiā
regum terrenorum dicit qui mortales sunt:
At Deus est rex immortalis. Sic Chrysost. in
prima expositione: Aut secundo solus habet
immortalitatem, ita vt nec angeli, nec animæ
habeat immortalitatem ex se vel perfectè, vel
sicut Hieronymus dicit libro secundo contra
Pelag. capite 12. quia per naturam habet non
per gratiam sicut angeli. Præterea (vt ait Au-
gustinus libro tertio contra Maximinum) in
omni mutabili natura nonnulla mors est ipsa
mutatio, quia facit aliquid in ea, quod nō erat.
Solus autem Deus immutabilis.

Et luce habitat inaccessum. Sed (vt dicit Oecu-
menius) Deus ipse lux est inaccessa, quomodo
igitur

igitur eam habitat? vides cum magnū aliquid de Deo dicere volumus, quomodo lingua ipsa deficit. Metaphoricè dictum est habitat: Ipse est lux spiritualis. *Inaccessam*: Accessione corporali ac motu, quod explicans subdit.

Hic fenus maxime placet.

Quem nullus hominū, oculis corporis vidit, scilicet secundum substantiam; nam per subiectam creaturam oculis corporalibus videtur: sed nec videre potest. Sicuti autem inuisibilis est, ita & incorruptibilis. Qui videntur, reges temporariorum sunt, qui non videtur, aeternus. Ita Augustinus ad Italicam epistola sexta. Nam si mentibus, inquit, piorum esset inaccesibilis non diceretur, Accedite & illuminamini: Et si mentibus esset inuisibilis, non diceretur, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Videbimus eum sicut est. Notanter dicit Apostolus, quem nemo hominum vidit, non loquens scilicet de angelis, sed de hominibus, nec de visu intellectuali, sed corporali, quanquam Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 9. & 12. generaliter accipit visionem, etiam pro intellectuali: & inaccessam lucem, pro ea quæ nec spiritali gressu ab homine adiri potest: Nō, inquit, dixit Apostolus, nemo hominum poterit, sed nemo potest. Poterit enim homo, sed tunc aeternum erit fideliūm præmium. Et infra cap. 12. Et quomodo erit verum, Accedite ad eum & illuminamini, nisi quia hoc nemo potest,

Psal. 33. Matth. 5. 1. Ioan. 3. Psal. 33.

poteſt, ſi de quisquam præſumpſerit, ſed ſi ipſe donauerit: Sic concione 6. in Psal. 118. Dictum eſt, inquit, Deus lucem inhabitat inacceſſibilem; Et audimus tamen, Accedite ad eum & illuminamini, quæ vtique ſoluitur quæſtio ut inacceſſibilis ſit viribus noſtris, accedatur autem ad Deum muneribus ſuis. Quomodo ve-rò aliqua ratione etiam per corpus ſit Deus vi-dēdus poſt reſurrec-tionem, ſicut anima ratio-nalis dicitur videri in mo-ti-bus ſuis, tractat Au-guſtinus 22. de ciuitat. Dei cap. 29. Vide quoq; epiftolam 112. ad Paulinam de videndo Deo, Exod. 33. vbi oſtendit illud, Nemo hominum vidit, in-telli-gi de viuē vita animali, propter Moysen & Paulū: Nā Christus, qui prouidebat Deum in conſpectu ſuo ſemper (de quo lege cap. vlt. libri 4. de conſenſu Euangeliſtarum) non eſt purus homo: Vnde ad Galath. Ab homine, in-quit Apoſt. non di-dici euangeliū. Arbitrātur nonnulli Apoſtolum hic loqui contra ſcholam Simoniſ, quę multa de angelis & vir-tute eorum iactitabat, ſed & ignotum quen-dam patrem inducebat: Sed quoniam & ange-li ab Apoſtolo inuiſibiles dicuntur, non vide-tur iſtud propriè contra illos adductum.

Verum videndum de qua perſona hic fiat mentio: Commentarius Ambroſio inſcriptus refert ad ſolum patrem, quem in veteri teſta-mento apparuifſe negat, ſed ſolum filium. Sed hoc ex

Pſal. 33.

2-Cor. 12

Pſal. 15.

Galat. x.

hoc ex scripturis recte cōfutat Augustinus libro 2. de Trinitate cap. 18. Et germanus Ambrosius in illud Lucæ 1. Apparuit angelus, eriā Spiritum sanctum, & Patrem per subiectam creaturam apparere docet. Augustinus igitur de tota Trinitate putat intelligendum: Omnia enim hæc tribus personis communia sunt, libro 3. contra Maximinum capite 12. & libro 1. de Trinitate capite 6. vbi recte admonet, etiamsi expressè diceretur solus pater, rex regum, non debere intelligi seclusum Spiritum, aut Filium, sed ea tantum quæ sunt alterius naturæ: sicut ibi nemo nouit quæ sunt Dei, nisi spiritus Dei, non excluditur Pater, aut Spiritus. Et Ecclesiast. 24. Gyrum cœli circumui sola, ibi Pater non excluditur. Quod & ipsum Græci hoc loco diligenter admonent. Et putat Oecumenius dictiunculam (solus) additam ad discriminem eorum, qui dicuntur dij & non sunt. Hoc quidem recte, Ioan. 17. vbi apud Ioannem dicitur Pater solus verus Deus (vti pulcherrimè interpretatur Cyrillus in eum locum, & libro decimo thesauri capite sexto, qui capite ultimo libri quarti thesauri dicit etiam hoc sensu solum patrem habere immortalitatem, quia à nullo habet, filius autem naturaliter ex patre haber.) Sed hic videtur magis respici ad terrenos, visibiles atque mortales reges. Posset & illud (vidit) intelligi pro præ-

pro præsenti positum, quem nullus hominum vider, siue videri consuevit.

Honor, hoc est, gloria & imperium sempiternum; Si imperium eius sempiternum, siue æternum est, ergo non patietur semper inultas iniquitates, non patietur bonos irremuneratos: ergo certo quoque tandem apparabit. Imperium & honor temporalium Regum modico temporis intervallo durat. Dei autem imperium est sempiternum. Verum meminerimus hic oportet eius, quod admonet Augustinus in epistola ad Paulinam: Pri- Epist. 112
mum mihi videtur plus valere in hac inquisi- cap. 1.
tione viuendi, quam loquendi modum: Nam qui didicerunt à Domino Iesu Christo mites Matt. 11.
esse & humiles corde plus cogitando & orando proficiunt, quam legendo & audiendo. Et capite vigesimo, sic habet: Cauendum est, inquit, ne dum altercando querimus vestigare quomodo possit videri Deus ipsam pacem Hebr. 12.
sanctificationemq; perdamus, sine qua nemo poterit videre Deum.

Diuitibus. Superius disputauerat de virtijs cupientium ditescere, nunc de diuitiis virijs agit, cuiusmodi aliquot Ephesi, quod oppidum potens erat & opulentum, & in reliqua Asia, Christiani erant: Nam hi initio ferè pauperes fuisse videntur, ut primæ ad Corinthios primo dicitur, Non multi potentes, non mul-
ti igno-

I N I . A D T I M O T H E V M

ti nobiles, etc. Sic Actuum 19. dicitur : Quidam autem de Asia principibus, qui erat amici Pauli, miserunt, etc. *Huius seculi. Aptissime*, huius seculi, dixit : Sunt enim & alij in futuro seculo diuites, vt qui ferunt fructum centesimum, quos dominus in Deum diuites vocat.

Non alrum sapere, id est, ne elato sint animo, ne magnificè de se sentiant. Nihil enim (vt ait Chrysost.) ira supercilium attollit, nihil ita superbiam & arrogantiam gignit, vt opes.

Neque sperare in incerto diuitiarum. Et hic est alter diuitium morbus, quod purent nihil sibi posse nocere, nihil aduersi accidere, quia diuites sunt ; ex quo nascitur arrogantia & fastus cæterorū, vt cōtra spes in Deo superbiā tollit. Præcipit igitur Apost. vt non speret in incertis diuitijs, q̄ ex eo spes vana sit, quæ re fluxa & instabili nititur. Dicuntur autē diuitię incerte, quia incertum est quādū eas sis possessurus. Aut enim illæ tibi, aut tu eis dum minimè credes, subtraheris. Multi potentes, inquit Ecclesiasticus, oppressi sunt validè, & glorioli traditioni sunt in manus alterorum. Si igitur aduertamus, quam sunt infirmae & instabiles huius mundi diuitię, quam cito hinc sit emigrādum, non facilè in eis spem nostram collocabimus. Nam hic sit vt spem in diuitijs collocemus, quod longam nobis semper vitā polliceamur, semp̄rque opes has nobiscum permanfurās;

in eisq;

Matt. 13.
Luc. 12.

Cap. II.

in eisque beatitudinem nostram collocemus. Nam tametsi aliam futuram vitam non ignorēmus, quia tamen procul adhuc abesse videatur, haud magni eam facimus. Vnde recte Ambrosius: Diuitiæ, inquit, superbos faciunt, quasi immortalitatem polliceantur. Contemptim itaque Apostolus de diuitijs loquitur, vocans eas huius seculi, miseri scilicet & instar bullæ seu momenti transiuntis ; & incertas merito, quia etiam in hoc seculo cito & sèpè eripiuntur. Sed in Deo viuo, id est, Præcipe, vt scilicet sperent in Deo, ab eo scilicet pendētes, qui diuitias dat cum voluerit, & subtrahit eas etiam electis suis. Scitè addit, viuo, pereunt enim diuitiæ, nec permanent: Deus unus est, & stabiliiter assistit eis qui in se sperant. Ambrosij commentator videtur illud, Deo viuo, ad Christū resurgentem referre, quasi diceret: In Christo, qui resurrectione sua æternam vitam nobis pollicetur, quod diuitiæ quas auferre nobiscum non possumus, nemini præstant.

Qui præstat nobis omnia. In authore itaque diuitiarum, non in ipsis diuitijs est sperandum. Is quippe abundè nobis subministrat omnia. Pulschrè, ait Chrysostomus, dixit, affluenter omnia, conuersationes annuas, virésque significás aërem, aquam, lucem, & cætera omnia. Refert (vt appetat) omnia non ad diuitias, quasi omnes abundè habeant: sed ad ea bona quæ in elementis

mentis sunt omnibus communia. Omnes sole, omnes aëre & vere similibusque perfuruuntur. Solem enim suum, Euāngelio teste, oriri facit, & pluit super iustos & iniustos: quæ vniq; meliora sunt bona, quam magna auri & argenti copia, & ex quibus fructus ac voluptas est maior, quæ quia omnibus adiunguntur, à diuitiis contemnuntur, cum tamen eis carere nō possint: Oecumenius & Theophilact. intelligit, quod Deus præstet communiter omnibus sufficiētiam rerum externarum quantum ad se pertinet, licet avaritia similis cum potentatu multa communia faciat propria, & quod etrogari deberet recondat. Intelligit Caluinus qui præstat nobis omnia affluenter, quæcumque possidemus affluenter. Si copia rerum nobis suppetat, ex eo est.

Acto.17. *Ad fruendum:* Cibo & lætitia implet corda. Læticare vult homines donis suis. August. ser. 5. de verb. domini: Omnia, inquit, & temporalia & æterna, sed magis ad fruendum, æterna: ad vtendum, temporalia tanquam viatoribus: ad fruendum æterna tanquam habitato-ribus: Temporalia, vnde bona faciamus, æterna vt boni efficiamur. Haymo, Omnia, inquit, temporalia, vt illis sic utramur in præsenti, vt perueniamus ad fruendum æternis.

Bene agere, &c. Præcipe, inquit, vt recedat ab his vitijs, sed recta agant, nec simpliciter recta agant,

agant, sed diuites fiant in bonis operibus: sicut Act. 9. Tabitha plena erat operibus bonis & eleemosynis quas faciebat. Caluinus ita interpretatur bona opera: quasi diceret, opera proximis bona & utilia. De quibus tametsi etiā agat Apostolus, simpliciter tamē bona opera appellantur ad Rom. 2. & 2. epistolæ Petri 1. & alijs locis, quibus bonorum operum fit mentio, vbi Caluini commentarius locum habere nō potest. *Facile tribuere*, hoc est, impartiri egētibus Luc. 14: opes. Hæc est enim scripturæ sacræ liberalitas indigentibus subuenire. Addit, *Facile:* Hilarem enim datorem diligit Deus. Ne dicas ergo 1. Cor. 9: amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi, Eccle. 3: cum statim possis dare: Nam vt vulgari dicto celebratum est, bis dat, qui cito dat. Facilitas est, si cito & hilari vultu des quod nonnihil proflit. *Communicare*, hoc est, beneuelos amicos, faciles & absque fastu proximis se præbere: Per communicantes, ait Theophilactus, societatis amantes & humanos intellige, quibus cæteri despiciuntur non habentur. Sic & cæteri Græci. Sunt quidam asperioris & durioris ingenij, cum quibus nemo vel rari conuenire possunt: hi non communicant: vir amicabilis ad societatem magis amicus erit, quam frater, Proverb. 18. Haymo: *Cōminicare*, inquit, est mortales se recogitare, & socios esse alijs hominibus in fragilitate. Ita August. serm. 5. de

Bb verbis

verbis domini, Communicét, id est, inquit, pa-
res suos mortales agnoscant.

Theſaurizare ſibi, Hoc modo, inquit, recon-
dent ſibi ipsiſ ſuđamentum bonum : vbi bo-
num eſt ſuđamentum , omnia ſunt firma &
inconuulſa . Haymo verò theſaurizare inter-
pretatur, diuitias ſibi p̄eparare in futurum, fa-
ciēdo amicos de mammona iniquitatis , iuxta
Luc. 16.
Matth. 6. quod dominus ait: Thesaurizate vobis theſau-
ros in cœlo, etc. In futurum, pro ſeculo futuro.
Explicat quorū, vt, inquit, Apprehendāt, ſive
aſequātur, veram vitam, hoc eſt, aternam. (Sic
enim Græcilegunt) Hęc enim vita vanitas eſt
& mors potius dicenda quam vita: Hęc eſt er-
go, inquit August. ſerm. 5. de ver. dom. falſa vi-
ta. Apprehendēda eſt ergo vera vita, migran-
dæ ſunt facultates noſtræ ad locum veræ vi-
tae, vt hoc ibi inueniamus, quod h̄ic damus. Quę-
admodū ergo ſtultus eſt ille, qui ſcīt ſe in alium
locum debere migrate, vbi non inueniet niſi
quod pr̄emiferit, nihil tamen vult illuc pr̄a-
mittere, ita ſtultus eſt qui hic nihil dat ex diui-
tijs ſuis, ynde illic ſuſtentetur. Reclē hic anno-
tat Chryſotomus bona opera efficere, vt vera
vita perfruamur. Et Theophilactus: Bonū,
inquit, operum peractio, quam & ſuđamentum
nominauit, vitam aternam ſibi cōciliare
poteſt . Explicat idem pulchrè Oecumenius,
Propter hanc, inquit, ſanè vitam (ſcilicet ater-
nam)

nam) recondendum eſt bonū ſuđamentum.
Quomodo autē hoc eſſe poterit? Si in hac vi-
ta bonis operibus incumbendo reponamus no-
bis huius vițe ſuđamentum. Bonū namq; ſuđa-
operum actio, quam & ſuđamentum nomi-
nauit, illius fruitionem conciliare poterit. Hęc
Oecumenius . Sic & Thomas: Thesaurus, in-
quit, ſpiritualis eſt congregatio meritorū, quę
ſunt ſuđamentum futuri ædificij, quod nobis
p̄eparatur in cœlo : quia tota p̄eparatio fu-
turę glorię eſt per merita, quę acquirimus per
gratiā, etc. Ex doctořib⁹ iſtis, & ipſo p̄e-
tereà contextu maniſtū eſt bona opera ater-
nae vițe ſuđamentum ab Apostolo constituit:
ex quo clarē conſequitur bona opera eſſe ali-
quo modo causam veræ vițe. Ideò Caluinus
interpretatur ſuđamentum , id eſt, ſtabile &
verē fundatum , ſed ſine villo rēpectu ad illud
quod ſuper ſuđamentum ædificatur, cum A-
postolus dicat opera bona eſſe ſuđamentum
in futurum, pro futuro tempore , vt vera vița
acquiratur & ſuperiſtratur, ſicut 2. ad Corin-
thios 5. dicit Apostolus , nos ſuperueſtiendoſ
gloria corporis, ſi hic veſtiri non nudi inuenia-
mūr. Quod inde, inquit Caluinus, infeſunt Pa-
pistæ , nos igitur bonis operibus vița aternam
promereri, niſi friuolum eſt : quia, inquit,
vix centefima ex parte officio ſuo ſatisfaciunt
etiam perfectiſſimi . Indigna eſt noſtra benig-
nitas;

nitas, quæ in rationem corā Deo veniat: Imò si ad calculū nos vocaret Deus, nemo erit qui non conturbetur: adeò longè absimus à plena solutione. Sed postquam nos gratuitò sibi reconciliauit Deus, officia nostra qualiacunque sint, sic accepta habet, vt indebita mercede dignetur. Proinde remuneratio non ex meriti ratione penderet, sed ex liberali Dei acceptione: adeoq; fidei iustitiae non repugnat, vt eius sit quasi appendix. Hac Caluinus.

Contra hæc primò dicimus, iustos etsi sāpē peccent, tamen in multis operibus officio suo maxima ex parte satisfacere, quanquam bonum nunquam perficiant. Quod patet ex eo, quia secundum Apostolum iustitia legis impletur in eis qui non secundum carnem ambulat:

Rom.8. Vnde Ioannes pronuntiat, quod fidelis vincit mundum, & peccatum ei non dominatur, etc. Docet hoc Ambrosius suprà citatus ex apologia David, quod bona, inquietis, opera in iustis praualere & malis præponderare. August. libro secundo de peccatorum meritis & remiss. cap. 14. & 15. habet multos esse perfectos cursores, & propinquos perfectioni, etsi non perfectos: Regnat in multis charitas, & paulatim minuit cupiditatem, sicut ait Paulus: Viuit in me Christus. Secundò dicimus bona ista opera & legis impletionem esse fidei iustitiae, non solum eius appendicem: vnde Apostolus dicit legem

Rom.8. 1. Joan.5. 2. Rom.8. Galat.2.

legem statui per fidem; & gratiam regnare per Rom.3. iustitiam in vitam æternam; & nos seruire in Rom.5. nouitate spiritus: Hinc Augustinus, Fides im- petrat, quod lex imperat. Tertiò, necessariam in Psal. quidem esse remissionem peccatorum etiam 118. minimorū, vt ad vitam perueniatur æternam, vti Hilarius dicit lib.2. contra Iulianum cap.8. sed remissis peccatis etiam maximis remane- re adhuc opera præmio digna, sicut pulchrè di- cit Augustinus libro quæstionū ad Dulcitium, quæst.5. verissimè, inquit, dictū est: Inueni Da- 1. Reg.13. uid virum secundum cor meum, quia licet se- cundum cor Dei non esset quod ille peccauit, tamen secundum cor Dei fuit, quod pro pecca- tis suis congrua penitentia satisfecit. Hoc ergo solum in illo secundum cor Dei nō fuit, quod illi Deus non imputauit. Hoc itaque ablato, id 1. Reg.16. est, non imputato, quid remansit nisi vnde ve- Act.13. rissimè diceretur, Inueni David virum secun- dum cor meum? Certè manifestum id est ex Apostolo Petro, cui quod Christū secutus es- set, promissum est quod futurus sit seculi iudex & hæres vitæ æternæ. Per negationē qui- dem hæc omnia impedituit, sed negatione re- missa, rursus ea Christi affectatio præmiū suum recuperauit. At in minutis peccatis etiā opus est remissione, quibus ablatis indubie manent opera digna præmio, imò opera ipsa bona tati sunt apud Deum momenti ut venialium re-

mīssio eorum intuitu tribuatur, quemadmodum testatur Augustinus de corrept. & gratia cap. 13. Tunc, inquit, pro bonōrum operū meritis iusto iudicio etiam ipsa misericordia tribuetur; scilicet qua non imputabitur peccatū. Contra ait libro 3, contra duas epistolās Pelagianorū cap. 3. In quibus non est fides, filij sunt diaboli, quia non habent in interiore homine cur eis dimittatur, quicquid hominis vel infirmitate, vel ignorantia, vel omnino aliqua mala voluntate committitur. Et hoc ipsum Christus testatur, dicens: Dimittite & dimittetur vobis. Cum igitur Christus pronunciet, eleemosynam mercedē apud Deum habere, & quod reddet in die iudicij vnicuique; secundum opera sua, vitam aeternam operantibus bonū, quodq; in die iudicij laudabit seruos fideles & bonos, etc. (ex quo liquet eleemosynas dici fundatū, quia merentur vitam & imperant veniam) nihil dubitant veteres dicere opera bona esse merita vita aeterna. August. contra duas epistolās Pelagianorum lib. 3. cap. 7. Minor, inquit, iustitia facit meritum, maior fit præmiū. Et in epistola ad Sixtum: Stipendium, ait, iustitia vita aeterna: Et cōciliū Arausicanū, debetur merces bonis operibus si fiant. Clarum ergo est hæreticum esse huius loci Caluini cōmētarium, quia bona opera præcipua ex parte legi satisfaciunt, & tanti fiunt à Deo ut minutis pecca-

Luc. 6.

Matth. 6. synam mercedē apud Deum habere, & quod reddet in die iudicij vnicuique; secundum opera sua, vitam aeternam operantibus bonū, quodq;

Matth. 25. Ibid. in die iudicij laudabit seruos fideles & bonos, etc. (ex quo liquet eleemosynas dici fundatū, quia merentur vitam & imperant veniam) nihil dubitant veteres dicere opera bona esse merita vita aeterna. August. contra duas epistolās Pelagianorum lib. 3. cap. 7. Minor, inquit, iustitia facit meritum, maior fit præmiū.

Cano. 18. Et in epistola ad Sixtum: Stipendium, ait, iustitia vita aeterna: Et cōciliū Arausicanū, debetur merces bonis operibus si fiant. Clarum ergo est hæreticum esse huius loci Caluini cōmētarium, quia bona opera præcipua ex parte legi satisfaciunt, & tanti fiunt à Deo ut minutis

pecca-

peccatis, immo & maioribus veniam impetrēt: Ablatis igitur peccatis in vigore suo permanēt, & debetur eis vita. Meriti autem nomen non perdunt ob modicum imperfectionis, sicut nec boni nomen, sanitatis vel luminis perditur ob modicum mali, infirmitatis vel tenebrarum. Si ergo iuxta Philosophos res appellanda est ab eo quod in ea excellit ac superat, certe sanctorum opera bona & legi consentanea, ac proinde meritorū vocari debent. Connexa sunt enim semper legis obseruatio & meritum. Stulta est Stoicorum sententia omnia peccata esse paria. Commentarius Pelagij interpretatur fundamentum esse vendere omnia & dare pauperibus: id quod vult esse præcepti, nimis rūm iuxta dogma suum falsum, sed quod ex hoc ipso Apostoli loco D. Augustinus epistola 89. ad Hilarium refutat, vbi nominatim interpretationis huius Pelagianæ, & quodammodo huius loci meminit, dicens quodammodo asserere, Apostolum hic docere, ut diuites thesaurisent fundamentum bonum, id est, omnia vendant: sed eos inde refellit, quod Apostolus domos diuitium sic instituat, ut permittat ibi vxores, filios, & seruos, qui omnes à pauperibus ali nequeunt. Inspiciatur ea epistola.

O Thimothee. Iterum redit ad mentionem falsæ doctrinæ, quia vehementissimè hac res Paulum angebat. Depositum serua. Oecumenius, per

B b 4 depo-

depositum accipit præceptum Dei Timotheo à Paulo propositum, aut gratiâ spiritus quam per ordinationem acceperat: Eádem gratiam & Calvinus intelligit. Verū si ad id quod agit Apostolus aduertamus & loca similia infrà alleganda, videbimus hic fieri mentionē doctrinæ, quam vocat depositum, quia cōmissa erat Timotheo. Chrysostomus: Cae*u*e, inquit, ne minuas, non enim tua, sed aliena sunt quæ seruanda accepisti. Eodem quoque modo Theophilactus generaliter exponit pro omnibus præceptis: sed dum præcipiunt non imminui, satis indicat se de doctrina loqui: Nullam partem doctrinæ patiaris auferri, nam de non recipienda noua doctrina, statim subdit. Similiter Pelagius fidei depositum interpretatur. Et Haymo: Dépositum, inquit, id est, gratiam fidei, & sapientiam quam tibi commendau*i*. Similis locus est in secunda epistola ad Timotheum cap..1. Formam habe sanorum verborum quæ à me audisti in fide, & in dilectione, in Christo Iesu bonū depositum custodi, etc. Et cap. 2. Quæ à me audisti, per multos testes hac commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Et infrà: Sollicitè curate ipsum, etc. restè tractantem verbum vereatis: Prophana autem & vaniloquia deuita, iſtē penè verbis vtitur. Ex quo patet & nomine depositi significare apud Apostolū doctrinam,

nam, atque eam solere per manus tradi. Nostandum etiam episcopos constitutos esse doctrinæ custodes, vt ne minimam quidem eius partem tolli patientur, quemadmodum pulcherrimè Basilius libro 7. Custodes, in Hist. Tripart. cap. 36. & lib. 4 apud Theodò. ferendum est, vt noui ac peregrini quippiam retū c. 19 in eam inuehatur. *Nouitates*: Græcè nunc est inanitates seu vanitates, atq; ita legunt Theophilactus & Oecumenius. Admonet tamen uterque Chrysostomū legere nouitates, quam lectionem habet & Augustinus & Pelagius, ac cæteri ferè omnes veteres, non hoc tantum loco, sed & 2. capite posterioris ad Tim. epist. ubi mirum est nostrū interpretē redditisse vaniloquia. Suspicari luet mēdosum habuisse codicē, aut alioqui inaduertēria lapsū: quod ob Græcarum vocum inter se affinitatem facillimum fuit. Siquidem κανοφωνία, si per diphthongum scribas, nouitates vocum significat: sin absq; diphthongo, varietates seu inanitates. Certè frequenter scriptura sacra hæreticam doctrinam nouitatis nomine significat. Hinc apud Ioannem, Non mādatum nouum 2. Ioan. 5. scribimus vobis. Et: Quod audistis ab initio Ibid. 1. permaneat in vobis. Similiter & Petr. epist. 2. Cap. 1. & Iudas in Canonica. Idem designat Paulus & 6.

supra per aliter docere, seu per diuersam doctrinam. Catholica doctrina iam inde à mundi sicut exordio, ac temporis progressu latius explicata est: At quilibet hæresis recens semper est quorundam inuentum. Vnde Chrysoft. in illud Marth. 13. Inimicus homo superseminavit zizania. Diabolus, inquit, nisi prius videat, quid sibi sequendum sit, aut quibus insidianum, cum quid faciendum sit nesciar, nec conatur quidē: Ideo post Prophetas pseudoprophetas, post pseudoprophetas pseudoapostoli apparuerunt, post Christum Antichristus apparebit. Nostri ergo interpretis lectio est retinenda, tametsi verū sit vanas etiam & inanest esse huiusmodi doctrinas. Dicitur inculam, *vocum*, referunt quidam ad ipsa vocabula, ut hic iubeat Apostolus nouas voces & prophanas vitare, quales erant multæ apud familiam Simonis Magi, vbi introducebant barbara nomina principum, quibus simplices territabant. Vide Epiphanium, Hieronymum, August. de nomine Abraxas, de Combo Valetini, de nonnibus trecentorum sexaginta quinq; principum, quæ habebant Gnostici & similibus. Alij intelligunt per nouitates vocum, non tam voces & sermones nouos, quā noua dogmata, nouātque doctrinam. Augustinus tract. 97, in Ioan. vtrunq; intelligere videtur, & voces prodigiosas, atque nouas doctrinas, sed magis doctrinæ.

doctrinas. Annotat autem Apostolum dixisse prophanas nouitates vocum, quia sunt quædā nouæ voces valde religiosæ ut trinitatis, consubstantialis, Christianus, monasteriū, liberum arbitrium, transsubstatiatio, theotocos, & multæ similes quæ in scripturis non inueniuntur, explicat tamen veritatem fidei. Sic habet Augustinus. Omnes insipientissimi hæretici qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorū, quas maximè exhorret sensus humanus, hac occasione euangelicæ sententiæ colorare conatur, vbi dominus ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare *Ioan. 16.* modo: quasi hæc ipsa sint quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus sanctus, quæ palam docere atque prædicare quantalibet feratur audacia, spiritus erubescit immundus. Hoc Apostolus in Spiritu sancto, præuidens, ait: Erit enim tempus cum sanam doctrinam, non sustinebunt, sed secundum desideria sua magistros sibi coacerabunt pruidentes auribus, & à veritate quidem auditum auertentes, ad fabulas autem cōuertentur. Illa enim secreti furtique commemoratio quæ dicit, Panes occultos libenter attingite, & aquæ furriæ dulcedinem, prutitum facit audientibus in auribus spiritualiter fornicantibus, sicut pruritu quodam libidinis eriam in carne corruptitur integritas castitatis. Audite itaque

B b 6 Apo-

1. Tim. 4

Prover. 9

Apostolum talia præuidétem & cavitanda sa-
2. Tim. 2. lubriter admonentem, Prophanas, inquit, ver-
borum nouitates deuita: multum enim profi-
ciunt ad impietatem, & sermo illorum, ut cacer-
serpit. Et nō ait, verborum nouitates, sed addit
prophanas. Sunt enim & doctrinæ religionis cō-
gruëtes verborū nouitates; sicut ipsum nomē
Christianorū, quādō dici cōperat, sicut scriptū
est: In Antiochia enim primū post ascensionem
domini discipuli appellati sunt christiani, quē
admodū legitur in Act. Apost. Et xenodochia
atque monasteria postea sunt appellata nouis
nominibus: res tamen ipsæ & ante nomina suā
erāt, & religionis veritate firmātur, quæ etiam
cōtra improbos defendūtur. Aduersus impi-
tatem quoque Arrianorum hæreticorum no-
uum nomen Patris Homousion condiderunt,
sed non rem nouam tali nomine signauerunt:
Hoc enim vocatur homousion, quod dicitur:
Ioan. 11. Ego & pater vñsum sumus, vnius videlicet eius-
demq; substantiæ. Nam si omnis nouitas pro-
Ioan. 13. phana esset, nec à Domino diceretur, Manda-
tum nouum do vobis, nec testamentum ap-
Psal. 95. pellaretur nouum, nec cantaret vniuersa terrā
& 97. canticum nouum. Sed prophana sunt verbo-
rum nouitates, vbi dicit, Mulier inspiens &
audax: Panes occultos libenter attingite, &
aquæ furtiuæ dulcedinem. Ab hac pollicita-
tione falsæ scientiæ prohibet etiam illo loco

Apo-

Apostolus, vbi dicit, O Timothee depositum 1. Tim. 6.
custodi, deuirás prophanas vocum nouitatem,
& contradictiones falsi nominis sciétiæ, quam
quidam promittentes circa fidem exciderūt:
Nihil enim sic amant isti, quam scientiam pro-
mittere, & fidem rerum verarum, quas crede-
re paruuli præcipiuntur, velut imperitiam de-
ridere.

Prophanas, id est, irreligiosas. Augustinus in- Loco iā
terpretatur tanquam distinctionis causa adda- eitato.
tur. Et hoc quidem verum est si de vocabulis
agatur: At si de sententijs & dogmatibus, sicut
est verisimilius, tunc non sentit Apostolus ali-
qua esse dogmata recenter post se inuenta, quæ
religiosa sunt, sed eo ipse esse prophana, & à deo
nos abducere, quo noua sunt & recenter in-
uenta. Sic Oecumenius in secundam epistolam
capite 2. prophanas vocum nouitates intelli-
git, si quid noui, inquit, fuerit in prædicatione
inductum ex recentiore inuento omnino vi-
tiosum est & prophananum. Et secundū Theo-
philauctum Chrysostomus vocū nouitates ac-
cepit pro recentibus ac nouis quibusdam ad-
hortationibus, seu (ut alij vertunt) instructio-
nibus. In secunda epistola huiusmodi nouita-
tum dat Paulus exemplum, mortuorum re-
surrectionem iam esse factam. Et Chrysostomus in eūdem locum, Cum quid, ait, noui fue-
rit inuentum, semper noua id parturit, infini-

Eb 7 tūsque

tusque fit error eius, qui tranquillam fidemque stationem littoris (ecclesiae videlicet) egreditus, per deum cœperit deuiriare. Denique & haereticus potest nouam doctrinam prophana vocari, quia ferè semper aliquid aperte prophanum adiunctum habet, ut familia Simonis, in nominandas turpitudines, & non esse mortuorum resurrectionem. Et hodie haeretici leges Ecclesie non obligare, nec vota castitatis esse seruanda, solam fidem iustificare & his similia prædicant. Docet itaque merito Apostolus has doctrinas deuitandas, nec quoquo pacto in Ecclesiam admittendas, ut depositum integrum ac illibatum conferuerit, nec ei quicquam addatur, demusque operam ut neque nos, neque ceteri diuersis illis doctrinis consentiant, quod fieri, si haereticos nec admiraremur aut suspiciamus, nec eos alloquio, aut libros eorum lectione dignemur. Pulchre hac de re Tertullianus, cuius verba mox subiiciemus. Et oppositiones: Oppositio, secundum Chrysostomum & Oecumenium, est obiectio aliqua ad quam non oportet respondere ob absurditatem. An igitur vetat Apostolus respondere haereticorum argumentis? Minime, sed vult eum non moueri obiectiōibus, quas faciunt contra veritatem sub magnificis & gloriosis scientiæ & veritatis titulis. Vult eum ita disputare, ut nec sibi nec alijs sit periculum.

Hoc

Vide
Thomā
2. q. 10.
artic. 7.

Hoc modo itaque vitantur argumenta, si quis eis non moueat, alioqui & Apostolus in epistolis suis Iudaizantibus, ac alijs erroribus laborantibus responderet. Et omnes doctores veteres magno cum fructu fidem defenderunt, & haereticorum argumenta diluerunt. Quare non moueant te, inquit, oppositiones eorum, et si sint colorata nomine scientiæ, quia falsò sibi nomen usurpant. Nam, ut ait Chrysostomus, ybi fides non est, ne scientia quidem. Quando aliquid proprijs cogitationibus gignitur, scientia non est. Et mox: Vides, ait, ut rursus admoneat, non cum huiusmodi passim conserendas manus? Deuitas, inquit, obiectiones: Sunt igitur obiectiones quibus neque respondendum est. Cur id? quia deiiciunt à fide, neque fortiter ac firmiter stare permittunt. His proinde omisis fidem teneamus quæ petra fixa est infracta atque inconcussa.

Quam quidam promittentes, id est, falsam scientiam profitentes, exciderunt, id est, relicta fide aberrarunt à scopo, siue exciderunt à scopo, qui est fides: Finis enim & scopus religionis ex fide habetur. Dum ergo falsam suam scientiam profitentur, reliquerunt fidem, & totam religionis substantiam. Falsam scientiam stulte interpretatur Pelagius artem Dialecticam per quam videbat se ab Augustino & similibus ex scripturis conuinci. Chrysostomus meminit hoc lo-

hoc loco Gnosticorum. Ita enim quidam se-
ipsoſ tunc forte Gnosticos, id est, ſcientes ap-
pellabant, quaſi qui plus ceteris ſcirent, qui fa-
nè multa etiam prophana habebant. De his &
capite 4. Haymo oppositiones has intelligit
quaſtiones Iudeorum, quas ſolent opponere,
quaſ in ſpeciem & fallaciter ſcientia aliquid
habere & doctrinę videntur. Id quod & ſupe-
rioribus conſonat. Suprà ex epiftola Auguſti-
ni 56. oſtendimus ſolenne eſſe hæreticis om-
nibus magnificos titulos doctrina ſuę prä-
tendere: Nunquam enim non in ore habent
verbum Dei, euangelium, ſcriptura: vnde &
quidam Gnosticos, Apoftolicos, Spiritales, Ca-
tharos, id est, mundos ſuperbiſſimè ſe appella-
runt: Hinc adiiciendum prophanis plena eſſe
eorum omnia: Qua de re consulatur Vincen-
tius Lirinensis qui hunc locum luculentissimè
tructat. Diligenter quoque conſideranda ſunt
hoc loco Tertulliani verba de präſcriptioni-
bus hæreticorum: Febrem, inquit, vt malum
abominamur, potius quam miramur, & quan-
tum in nobis eſt präcauemus, non habentes
abolitionem eius in noſtra potestate. Hæretes
verò mortem aternam & maioriſ ignis ardo-
rem inferentes malunt quidam mirari, quod
hoc poſſint, quam deuitare ne poſſint, cū ha-
beant deuitadi potestatem. Ceterum nihil va-
lebunt, ſi illas tantū valere non mirentur. Aut
enim,

enim dum miratur in scandalū ſubministran-
tur, aut quia ſcandalizantur, ideò mirantur
quod tantum valeant, quaſi ex aliqua veritate
veniant. Mirum ſcilicet at malum vires ſtas
habeat, niſi quod hæreſes apud eos multum
valent, qui in fide non valent. Solent quidem
iſti miriones etiam de quibusdam personis ab
hæreſi captis edificari in ruinam, quare illa vel
ille fideliſſimi, prudentiſſimi, & vetuſtissimi
in Ecclesia in illam partem transferunt? Ex
personis probamus fidem, an ex fide personas?
Et infrā: In primis, inquit, hoc propono, vnum
itaque & certum aliiquid institutū eſſe à Chri-
ſto, quod credere omni modo debeant natio-
nes, & idcirco querere, vt poſſint cum inue-
nerint credere, ynius porrò & certi inquifitio
instituti infinita eſſe non poſteſt. Quærendum
eſt donec inuenias, & credendum cum inue-
neris, & nihil amplius niſi custodiendum quod
crediſti, dum in ſuper crederis aliud non eſſe
credeſum. Et infrā: Ut, inquit, non inimici eſ-
ſent veritatis hæretici, vt de refugieſis eis non
præmoneremur, quale eſt conſerre cum ho-
minibus, qui & ipſi adhuc ſe querere conſi-
tentur? Si enim verè adhuc querunt, nihil ad-
huc certi deprahenderunt, & ideò quodcunq;
videntur interim tenere, dubitationem ſuam
oſtendunt, qnamdiu querunt. Itaque tu qui
proinde queris ſpectas ad eos, qui & ipſi quæ-
runt,

IN I. AD TIMOTH. CAP. VI.

Matt. 17.
runt, dubius ad dubios, incertus ad incertos:
cæcus à cæcis in foueam deducaris, necesse est.
Sed cum decipiendi gratia prætendant se ad-
huc querere, ut nobis per solicitudinis inie-
ctionem tractatus suos insinuent, denique ubi
adierunt ad nos, statim quæ dicebant quæren-
da esse, defendunt. Et infra: Aduersarij, inquit,
scripturas obtendūt, & hac sua audacia statim
quosdam mouent, in ipso verò congressu fir-
mos quidam fatigant, infirmos capiunt, medios
cum scrupulo dimittunt. Et in ista: Quid pro-
mouebis exercitatiſſimè scripturarum, cum si
quid defenderis negetur; ex aduerso si quid
negaueris defendatur? Et tu quidem nihil per-
des nisi vocem in contentionem: nihil conſe-
queris, nisi vilem de blasphematione laudem:
Ille verò, si quis est cuius causa in congressum
descédis scripturarum, eum ut dubitantē con-
firmes, ad veritatem an magis ad hæreses de-
uerget? Hoc ipso morus quod nihil te videat
æquo gradu negādi & defendēdi diuersa par-
te statutum certe, & pari altercatione incer-
tior discedet nesciens quam hæresim indicet.

Gratia sit tecū, quæ hæc omnia tibi præ-
stet. Et manu propria, inquit Am-
broſius, ſubſcripſit, dicens:

Gratia tecum,
Amen.

F I N I S.

*Hic Commentarius in priorem Episto-
lam Pauli ad Timotheum, videtur mihi
catholicus, eruditus, & Reipub. utilis.*

Mich. de Bay.

9. Nouembr.

1567.